BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
8 D
2
5.8.C.5.

~~G~~ G
~~IV~~ IV
~~29~~ 10

68
8 D
2

PETRI·ALCYONII·MEDI
CES·LEGATVS·
DE·EXSILIO·

AL DVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Capuccinorum Romae·

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PETRI·ALCYONII·MEDICES·LEGATVS·DE·EXSILIO·AD·NICOLAVM·SCHONBERGVM·PONTIFICEM·CAMPANVM·

OMMVNICATIO·SERMOnis Nicolaë hominib. liberaliter inſtitutis ſemper incredibilem uoluptatem peperit, & utilitatem, modo ea de reb. maximis, & grauiſſimis fieret. harum enim diſciplina cum animo noſtro conſentanea ſit, facile poteſt eundem ipſum ornare, & ſingulari afficere laetitia. propterea non defuerunt ex ueterib. Graecis, qui poſteris etiam tale genus ſermonum tradere glorioſum putarint, id'que literarum monimentis, & ſcriptorum teſtimonio. è quorum numero primum fuiſſe Zenonem Eleätam aiunt, inuentorem etiam artis diſſerendi. quãquam Ariſtoteles memoriæ prodidit Alexandrum Teium, ut multa alia mirabiliter hominibus oſtendiſſe, ita quoq; primum exſtitiſſe, qui ſermonem uerum, & pro tempore aſſimulatum literis mandarit. Verũtamen decus tam praeclarae inuentionis ſua laude caruiſſet, niſi poſt multos annos duo lumina ex Socratis ſchola apparuiſſent Plato, & Xenophon, qui totam hanc ſcribendi rationem illuſtrarent. hic enim in maximarũ rerum ſcientia ſummus, atque in omni iudicio elegantiſſimus multa ornate, ac copioſe ſcripſit, quae ad uitae officia, & mores hominum maxime uidentur pertinere. ille Socratis multiplicem rationem diſputandi, rerum'que uarietatem, & ingenij magnitudinẽ immortalitati conſecrauit. atque id inter hoſce diuini ingenij homines intereſt, quod alter uoluit ſeipſum agnoſci auctorem omniũ rerum, quas ediſſereret, alter quamuis ipſe magna ex parte auctor eſſet rerum ſcriptarum, tamen do

ctoris laudem antiquiorem habuit ſua. nam illum ipſum
ferè ſemper inducit loquentem, & perſona ſua ſuppreſ=
ſa orationem ab eiuſdem ipſius auctoritate repetit, & ſiqd
perplexum, ac ſubobſcurũ eſt, quod explicationis indigeat,
id totum ad illius partes refert, aut eorum, qui ingenio, et
doctrina praeſtantes cum homine familiariter uixerint.
Ariſtoteles autem Platonis praeceptoris gloria commotus au
reum illud eloquentiae flumen in Dialogis etiam effudit.
quem imitatus dicitur Theophraſtus. Sed utriuſque ſcriben
di ratio à Platonica magnopere differebat, quandoquidē
hæc aliquá ex parte neruos, & aculeos oratorios habet, et
nonnunquam ita numeris contorta fertur, ut fulmina uibra
ri uideantur, non ſententiæ pronunciari, Peripatetica autē
mollis & ſoluta eſt, & liberius fluit, quippe quae tota com
parata ſit ad docendum, non ad capiendum. Itaq; Baſileius
ille merito Magnus, fuit enim & doctrinæ, & ſanctita-
tis eximiæ, ad Diodorum ſcribens in Ariſtotele, & Theo-
phraſto annotauit, utrunque ad res tractandas ſtatim ſe
conuertere, quod praeclare intellegerent Platonica illa di
cendi ornamēta ſibiipſis deeſſe. ita ut ſtatuere oporteat apud
Graecos omnem componendorum Dialogorum laudē per=
fectam penès Xenophontem, & Platonem fuiſſe, conatum
autem, & quandam, ut ita dicam, operis adumbrationem
penès Ariſtotelē, et Theophraſtum. Sed cum Graeci mox
in eas calamitates incidiſſent, ut nullus honos, nulla prae=
mia, & perexigua laus illorum induſtriae eſſet, omnis haec
ſcribendi gloria ad Romanos tralata eſt, qui illos etiā im-
perij ſplendore priuarant. atque duo potiſſimum florue-
runt, M. Varro, & M. Tullius. ſingularis'que Populi Ro=
mani felicitas fuit, quod eodem tempore tales ciues habue-
rit & Reip. tuendae ſocios, & nominis Romani ornandi
æmulos. Ad principatum quoq; D. Auguſti huius generis
acceſſit felicitas. habuit enim Princeps ille T. Liuium non
modo rerum Pop. Ro. geſtarum Hiſtoricum facundiſſimum,
ſed etiam Dialogorum ſcriptorem copioſum, elegantem, ua
rium, & in primis eruditum. Itaque Seneca de Fabiani

Papyrij

Papyrij libris loquens.T.Liuio et praeconiū ornatiſſimi Hiſtorici tribuit,et graue teſtimonium in ſcribendis Dialogis praeſtantiſſimi Philoſophi impſijt. Dein principatu aliorū Caeſarū conſecuti ſunt ſcriptores qdā non ſatis digni,q̄ nominentur,propterea quod facultatem dicendi nullo grauiorum artium inſtrumento locupletarunt. Cum enim omnia ad arbitrium unius & quidem dominantis eſſent conſtituta, facile profecto euenire ſolebat, ut qui illius gratia frueretur, & reliquorum ciuium ſtudio clarum ſe eſſe putaret. Itaque Philoſophorum diſciplina neglecta, omnem animum,curam,& cogitationem in quadam inconditae uerborum copia effundenda ponebant,cum tamen eadem ipſa diſciplina neceſſaria ſit ijs,qui in hoc ſcribendi genere uerſantur. Quid enim admirabile ab imperito rerū naturae unquā naſcetur? Quam copiam ſuppeditare poteſt ſola linguae cognitio? Quae item diſputatio inſtituetur de uita,de officijs,de uirtute,de moribus ab homine qui liberalium artium ſtudio non flagret. Atque hoc quidem ipſum cauſae fuiſſe puto,cur Albinus in Platonicis Prolegomenis non dubitarit aſſerere,ut Tragoediae,et omnino Poeticae ſuam, propriam'que materiam ſubijci fabulas, ſic Dialogi materiam eſſe res ad Philoſophiam pertinentes. *Dialogorū materia*

Cum igitur harum rerum explicatio propria ſit Dialogi, cum'que latini poſteriores ad eam parum reſpicerent, minus perfectam laudem eiuſmodi ſcriptionis mihi conſecuti uidentur. Nihil autem loquor de genere dicendi,quo uſi ſunt. certe ſic ſublatum,& amplum eſt,ut aliquando inflatum occurrat,& corruptum,cum oporteat Dialogorum dictionem eſſe cultam,puram,ſuauem,lenem, & preſſam ſine inopia,& ieiunitate. quo etiam modo Epiſtolam ſcribi oportere Artemon Peripateticus cenſebat,cum eſſet altera pars Dialogi. quanquam Demetrius Phalereus & re. p. Athenis,quam optime digeſſerat,et ex doctrina nobilis,et clarus ſtatuat Epiſtolam in inferiore locandam eſſe ordine, Dialogum in ſuperiore,quandoquidem hic ad hominum ex tempore loquetium mores componitur,illa muneri mittitur *Dialogorū dictio* *transponenda sunt verba ista*

amicis. Sed ad propoſitum orationẽ redeamus. Equidem, ut aliqua ex parte hoc ſcriptionis genus uindicarem à con fuſione tam malorum ſcriptorum, duos libros confeci de Exſilio, in quib. retuli eum ſermonem, quem Ioannes Medices habuit cum Iulio cognatione qdem Patrueli, ſed amore germano, & Laurẽtio Petri fratris filio paucis poſt diebus, quàm Iulius II. Pont. Max. eum legatum illius exercitus dixiſſet, quem ad recipiendam Bononiam mittebat. Et hoc quidem tempus non longo ſatis interuallo praeceſſit reditum illorum omnium in patriam, & diem illum clariſſimum, ac mortalib. optatiſſimum, quo idem Ioannes Pontifex Maximus creatus, ſiſces humani generis ſuſcepit, et Leo Decimus appellatus eſt. qui etiam non multo poſt Iulium Patruelem in collegium ſummorum Antiſtitum adſciuit, ut illum haberet, quẽ maiore cum ipſius dignitate rogaret ſententiam, & ad quem de bello, de pace, de reb. diuinis, de ceremonijs, de ſacris, & de omni religionum interpretatione referret, Laurentium autem Principem Vrbinatem declarauit. quem honorem ille, quoad uixit, illuſtriorem reddidit liberalitate, magnitudine animi, laudum bellicarum ſplendore, & ſumma Patriae, totiusque Etruriae gubernandae poteſtate. Hãc autem diſputationem, ut dicebam, in Ioannis Legati perſonam, et aliorum Medicum ita contuli, ut penès ipſum Legatum ſit principatus, tum quod ſapientia, & eloquentia, & literis omnes antecellat, tum etiam, quod multo maiorem auctoritatem habituram eſſe orationem exiſtimaui, ſi ab eo prodiret, qui etiam ſi diu exſulaſſet, tamen unus ſummorum Antiſtitum fuiſſet, & illius ordinis longe clariſſimus. Praeterea eoſdem libros appellaui Medicem Legatum priorem, & poſteriorem, exemplo Platonis, qui diſputationem inter Socratem, et Alcibiaden habitam de natura hominis, & de uoto duobus libris mandauit, eosque Alcibiaden priorem, & poſteriorem inſcripſit. Explicaui etiam omnem diſputationem përinde, ac ſermo coràm haberi ſolet. nam idem ipſe Plato in Theaeteto, & illum ſecutus Cicero hunc morem narrandi commodiorem eſſe aiunt,

Laurentius Medices Vrbini Dux.

quàm

quàm ſermonem à perſonis ducere, & illas quoque interponere. Tempus autem hoc maxime idoneum mihi uiſum eſt ad ea ipſa tibi mittenda Nicolaë, quandoquidem illis legendis perſpicue intelleges noſtros Medices ſemper ſtuduiſſe, cum alijs multis commodis nos augere, tum maxime Italiæ ſalutem, ac libertatem parere, qua nunc mirifice lætatur Populus Romanus ob uictoriam, quam idem Iulius Medices Italiæ, ut nunc aiunt, Legatus proxime ad Mediolanum eſt conſecutus. Ac huiuſce quidem lætitiæ decus ad neminem in Vrbe magis pertinere iudico, quàm ad te. nã unus omnium tu illi ipſi Iulio cariſſimus & iucundiſſimus es propter ſingularem fidem, ſummum ingenium, & excellentem honeſtarum artium ſcientiam. qua quidem gratia ad bonorum omnium dignitatem augendam in primis te uti uidemus. Itaque etſi in Miſinenſi clariſſima Germaniæ prouincia illuſtrib. natalib. ortus es, tamen in Italiæ luce cognoſceris. atque etiam tibi immortaleis agit gratias, quod Turcarum immanem, & foedam crudelitatem non ſolum à iugulis ſuorum ciuium, ſed etiam à membris, & uiſceribus auertiſti, dum à Pontifice Maximo ad omnes Tranſalpinos reges allegatus, inter eos amicitiam, ſocietatem'que conſtituiſti, & ad bellum pro religionis dignitate illis inferendum excitaſti. Atque interim frueris ipſe te, cum tanta, tam'que præclara iudicia cotidie fieri de tua admirabili uirtute ſentis, & cuiusque ordinis, generis, & fortunæ ſtudia tuæ laudi, & gratulationi aptari cognoſcis. Iulio etiam ipſi mire applaudimus, gratias'que agimus, quod te in tam amplo dignitatis gradu locarit, ut inde laborantib. ſuccurrere, cunctis lucem ingenij, & conſilij tui porrigere, et optimi cuiuſque uirtutem ſumma auctoritate amplificare poſſes. qua in re imitatus eſt Patruelem ſuum Leonem Decimum Pontificem Maximum, quem uere optimum, maximum appellare poſſumus, ut Deũ ipſum, cuius munus apud mortaleis ſuſtinet, & quidem ante optimum, ideſt beneficentiſſimum, quàm maximum, quia maius, gratius'que eſt prodeſſe omnib. quàm opes magnas habere. De quo nimirum

*eo libentius hunc ſcribendi laborem ſuſcepimus, quo ma-
gis intelleximus noſtros commentarios in infinita poſterita-
te ſtare poſſe, quoniam clariſſimas illius ipſius uirtutes com
plectuntur, conſilium'que Ariſtotelis interim ſecuti ſu-
mus, qui Protogeni ſuadebat, ut res à Magno Alexandro
geſtas penicillo potiſſimum exprimeret propter eximiam
illius uirtutem, & immortalem nominis celebritatem.*

Sed de nobis ſatis. aliquãdo enim audiamus IVLIVM
ipſum ſic in Bybliotheca LEGATVM *Patruelem al
loquentem.* *Cum alijs in reb. mi frater probas
merito ad te pertinere auitæ gloriæ hæreditatem, tum quod
nullum finem facias aliquid græce, aut latine ſcriptum le-
gendi, id'que maxime poſt, quàm calor ſe fregit, & Volca
nalia eſſe coeperunt.* LEG. *Facio equidem id non
minus libenter, quàm neceſſario, propterea quod intellego
hoc potiſſimum modo communium miſeriarũ dolorem acer
bum minus mihi eſſe, præſidium'que aliquod comparari
ad motum fortunæ uel ratione gubernandum, uel exemplo
aliorum tolerandum. quanquam nunc in Bybliothecam eo
conſilio me non abdidi, ut è lectione ueterum auctorum le-
uationem aliquam incommodis noſtris rebus inueniremus,
ad quas iam planè obduruimus, ſed potius, ut ſuis in locis
codices nonnullos diſponeremus, qui proxime ad nos allati
ſunt.* IVL. *An de ijs ſunt, quos amiſeramus in di-
reptione domus, cum patria cederemus? & furori impro
borum ciuium reſiſtere non poſſemus? talium enim libro-
rum amiſſionem tu iniquo animo ſemper tuliſti, exiſtimans
iacturam aliarum rerum, quam facere ſolemus, tolerabi-
lem eſſe, quoniam res multo etiam pretioſiores aliquando
conſequi poſſumus, ſed in librorum amiſſione periculum eſ
ſe, ne illi poſthac nuſquam reperiantur. tanta eſt hominum
neglegentia, et eiuſmodi rerum praeclariſſimarum contem
ptus. Itaque cum in aliquem ex domeſtica Bybliotheca codi
cem incidis, æquè gaudere ſoles, ac is, qui magna iactatus
tempeſtate aliquid poſtea ex ijs comperiat, quæ in mare
proiecerit, aut alio caſu amiſerit. id, quod nuper te feciſſe*

uidimus,

uidimus, cum grandē ſanè codicem recepiſti, quo omnes, qui exſtant Ariſtotelis commentarij continentur, & explanationes ueterum Peripateticorū adſcriptæ ſunt, ex quo quidem tantam lucem tenebris Peripateticæ diſciplinæ, quæ apud latinos eſt, prodituram confido, ut Ariſtotelem græcum non poſthac ſimus deſideraturi. audio enim Alcyoniū noſtrum ſuperioribus dieb. eundem ipſum codicem accurate euoluiſſe, ut latinum faceret quicquid Theodorus Gaza ex opere de animalibus non conuerſum reliquiſſet, atque etiam, ut ſuppleret ea, quæ Argyropylus ex libris auſcultatorijs interpretaturus fuiſſet, niſi alius caſus, aut occupatio conſilium eius praeuertiſſet. LEG. *De domeſtica quidem bybliotheca iſti ſunt libri, atque non tantum ſtudij poſuiſſem in illis digerendis, & propemodum ſingulis paginis recognoſcendis, niſi certò ſcirem ſanctiſſimos illos patris Laurētij manes incredibili quadam affici lætitia, cum intellegunt harum quoq; rerum ſtudium nobis hæreditarium, atq; hos pretioſiſſimos theſauros non omnino eſſe diſſipatos. Clariſſimus enim ille uir hoſce codices non aliter appellabat, quàm theſauros, non quod theſauros in illis comparandis profudiſſet, quanquam id uerum fortaſſe fuit, ſed quod eos tum in Græcia, tum in Aſia defoſſos quaſi theſauros aliquos eruendos, ac Florentiam deferēdos curaſſet. Laudo etiam propoſitum Alcyonij. ſed ætas eius, uix enim pubeſcit, facit ut nunc ab illo non exſpectem ea, quæ tum à Theodoro, tum ab Argyropylo maiores noſtri acceperunt. ambo enim ſenes fuerunt & quidē græci ſummo ingenio, et ſingulari græcarum literarū cognitione praediti, id, quod multis Græcis hodie non contingere ſolet, & latinarum literarum tanta peritia, quanta ſuis temporibus latinorum nemo, ac propterea ſuſpicari poſſumus illos græca Ariſtotelis ſcripta mire intellexiſſe, eadem'que ipſa eleganter exprimere latine potuiſſe. atque eo libentius haec de utroque prædico, quod ſcio me teſtimonium dare indicij, non beneuolentiæ. etiam ſi Argyropylus diu cum proauo Coſmo, & auo Petro uixerit, Laurentium'que parētem de*

ctrina omnium rerum inſtituerit, quæ eſſent homine erudito dignæ, atque eo, qui in rep. uellet excellere. Theodorus autem ex Lucania in Etruriam ad nos tranſiſſet, niſi tam celeriter natura per mortem ſuum quaſi depoſitum repetiſſet, atque ſine controuerſia honoratior apud patrẽ erat futurus, quàm Panætius apud Scipionem, quandoquidem græcarum literarum laudẽ latinarum gloria cumularat, quod Panætius aſſequi nõ potuit. Sed de Alcyonij interpretatione tum iudicabimus, cum uoluerit ſua iudicari, hoc eſt cum quæ in manibus habet opera emiſerit. quãquam proximis dieb. legens prima capita libri eiuſdem Philoſophi de ortu, & obitu latine reddita, animaduerti in Alcyonio maius urbanæ illius eloquentiæ ſtudium, quàm in utroque horum Graecorum fuerit, & non mediocrem felicitatem latine repræſentandi integram auctoris ſententiam, quam de ſe interpretem praeſtare difficile iudico quotieſcunq; Ariſtoteles ueterum Philoſophorum ſcita conuellit, & rudem uetuſtatem coarguit. uſq; adeò tum breuis, preſſus, ſibi inſtans, difficilis, & obſcurus eſt. Si igitur Alcyonius extrema cum primis contexuerit, non dubito, quin Italia exhilarabitur ob talem interpretandi laudem, quæ poſt multa ſecula beneficio hominis Romani in hac Vrbe primum reuiuiſcet. Tu autem Iuli feciſti grata iſta tua interpellatione, ut crederem te nunc penitus cognoſcere, quàm graue uulnus nobis fratrib. uniuerſaeque familiæ noſtræ, ſit à fortuna inflictum, cum domo, & patrijs, auitiſque bonis ſpoliati, in exſilium acti ſumus. nam per ætatem nullam ſanæ ciuitatis noſtræ partem guſtare potuiſti, quoniam poſt parentis obitum ciues qdam in Petrum fratrem perſonam principis ciuis ingenio & conſilio ſuſtinentem ea moliri coeperunt, quib. hominis auctoritas in adminiſtranda patria labefactaretur, & dignitas omnium noſtrum imminueretur. Nec illos ab hoc conſilio auertit memoria immortalium beneficiorum, quib. à maiorib. noſtris omni tempore ornati ſunt, nec patriæ ſplendor, quem prudens, & moderata noſtrorum gubernatio auxerat. Hæc tamen Iuli ferenda cen

ſeo, non uindicanda. ſiquidem Chriſtianorum hominum of fenſiones aut uoluntaria obliuione terendæ ſunt, aut animi lenitate deponendæ. IVL. Horum quidem temporum triſtitiam condis hilaritate, & facilitate tua mi optime ac dulciſſime frater. atque hac etiam in re agnoſco incredibilem animi tui moderationem, & conſtantiam. ex quibus planè uirtutibus nos propinqui, & neceſſitudine coniuncti aliquando iucundos fructus percipiemus, patria autem, & Reſp. chriſtiana iucundos, & ſalutares. LEG. De hoc fors uiderit, aut qui eiuſmodi res curat Deus. Oblector autem mirum in modum fraterna iſta tua uoluntate plena humanitatis, plena pietatis, plena fidei. Nec ſanè odioſum cuiquam eſſe putauerim teſtificari me ſemper operam dediſſe ante, quàm Innocentius octauus Pont. Max. me in ſummorum antſtitum ordinem cooptaret, ut dignus uiderer tanti Pontificis iudicio & honore, quo ille ſua nominatione me decoraturus erat. Quod ſi mox tanto honore præditus religionis laudem ſtudioſius ſpectaui, quàm complures alij noſtri ordinis ſacerdotes, ſi afflictam optimi cuiuſque fortunam ſubleuaui, ſi literatis praeſidio fui, certe nihil aliud uideor mihi feciſſe niſi id, quod ex officio à me fieri oportebat. Præterea uulgi plauſus ſemper contempſi, multis etiam reip. noſtræ honoribus non tam uti uolui, quàm dignus uideri. nec unquam laboraui, ut domus noſtra paricidarum plena eſſet, aut ianua & ueſtibulum maxima coti die frequentia aulicorum, ac ſummorum hominum ſplendore celebraretur, aut longa Præſulum pompa ad Pontificias ædes deduceremur, aut pluribus Baſilicæ ſpatijs honeſtaremur. Sacerdotes enim, qui tali honorum genere du cuntur, uiam ſibi muniunt ad tyrannidem occupandam, nō ad Chriſtum imitandum, & ad ueram religionis laudem aſſequendam, quæ utinam propoſita eſſet ijs, qui ſacris cotidie initiantur, tanta certe malorum ſacerdotum copia non urgeremur, nec tam pauci principes eſſent, qui religionis patrocinium ſuſcipere uellent. imò non deſunt è Chriſtianis Regib. qui exiſtiment ſe cogere poſſe Pontificem no-

ſtrum, & honore maximum, & auctoritate clariſſimum, ut conuentui interſit, quem tamen illi indixerint. Minantur etiam ſe ipſos, ſi id facere recuſarit, illum redacturos in ordinem. Ambitioſus autem quorundam ſacerdotum animus iſtas in nos inuexit calamitates. atque illis quidem non uidemur leuari poſſe, niſi armis, quibus nullum calamitatis genus pernicioſius eſt. Itaque doleo mirum in modum noſtrã etiam operam ad id exigi. Pontifex enim ſuperiorib. dieb. ut probe noſti, frequenti ſummorum Antiſtitum collegio me ſibi legauit, & copijs præfecit, quæ in Gallos hoſtes profecturæ ſunt. Necuero deſperanda eſt uictoria, quandoquidem arma ſuſcepta ſunt pro cauſa iuſta, pro aſſerenda Pontificis auctoritate, pro collegij noſtri dignitate, & pro Vrbibus recipiendis, quæ à Pontifice, & à nobis defecerunt. Sed tamen in talium rerum adminiſtratione, multa incidere poſſunt, quæ uictoriam minus lætam reddent. ſtrages legionum tum noſtrarum, tum Regum ſociorum, cædes ciuium, direptiones urbium, impetus in priuatorum pecunias, tabulæ nouæ, proſcriptiones, turpiſſimorum honores. Nec eiuſmodi calamitates per tranſalpinas, aut tranſmarinas peruadent prouincias, quibus arma inferre forſitan oporteret, uel propter morum peruerſitatem, uel propter Religionis diſiunctionem, ſed per Italiam, ubi humanitas, moderatio, uirtus, & Religio orta, & in omnes terras putatur diſtributa. Auget dolorem meum memoria ſuperioris belli, quod Cæſar Borgia Regulus Valentiæ in Piceno, et Aemylia geſſit, quæ nunc noſtra prouincia eſt. in illa enim ea ſcelera, & flagitia à noſtris militibus patrata ſunt, quæ ne Scythæ quidem, aut Turcæ, aut Poeni in Italia commiſiſſent. illatæ fames & uaſtitas nobiliſſimae Italiae parti, agri ferro, igni'que uaſtati, diſturbatae, exciſae'que urbes, abreptie' complexibus matrum infantes, & parietib. illiſi, ciues uniuerſi, aut Sullano more interfecti, aut alio' migrare coacti, & quod miſerrimum, meo quidem iudicio, nobis Italis fuit, multorum Principum neces, qui antiquiſſima ſtirpe orti erant, quique Italici generis homines omni officio.

rum genere complectebantur, ſiue illi ingeniJ, et literarum gloria florerent, ſiue bellica laude inſignes eſſent. Quid memorem in alia Italiae parte grauiſſimos, & calamitoſiſſimos caſus Populorum ferè omnium Regni Neäpolitani? poſt, quàm Foedericus Arago Regno ceſſit Gallis, & Hiſpanis, quorum etiam Rex illi arcta cognatione iunctus erat, auxiliáque pollicebatur aduerſus Gallos communes, ut dicebat, hoſtes. Inuitus quidem huius Regis mentionem feci, ſed inſtitutus de noſtrorum Italorum calamitate ſermo memoriam de tanto Rege refricauit. Fuit ille iuſtis de cauſſis familiæ noſtræ amiciſſimus, nec ſolum ante, cum Princeps Tarentinus eſſet, ſed etiam mox quandiu regno Neäpolitano potitus eſt. ita nunquam me meæ fortunæ ſuppoenituit, ut nouem fermè ab hinc annos, cum eum Mediolani uidi. quanto meo cum dolore non dico. Exceſſerat Neäpoli anno ſuperiore Rex ille & humaniſſimus, & ſapientiſſimus, ſummáque uirtute praeditus, ne regnum illud, quod conſeruarat, ſua pertinacia aliquando euerteret, ad Ludouicum'que Galliæ Regem acceſſerat, ſperans illum paſſurum, ut imperatis certis rebus regnum etiam obtineret ſuum, cum præſertim non minus glorioſum ei eſſet conſtitutum ab eodem ipſo Regem, quàm conſtrictum uideri.

Mediolanum autem uenerat officiJ cauſſa ſecutus Ludouicum Regem, qui in Italiam trāſierat arma extimeſcens Cæſaris Borgiae, qui imperiJ fines in Galliam uſque Togatam protulerat. Meæ quidē fortunæ tum, ut dicebam, me maxime ſuppoenitebat, quod intellegebam nullam opem afflictis illius rebus nos amplius ferre poſſe, quemadmodum Parens noſter Ferdinando Regi illius patri fecerat, cum principum, et Primorum coniuratione omni propemodum regno ſpoliatus eſſet. Oʼ ſpectaculum illud non modo hominibus, ſed parietibus etiam ipſis, & feris luctuoſum. cedere è Regno Italico Regem Italum, atq; adéo conſeruatorem illius, manere exteras gentes, quæ popularentur agros, uexarent Vrbes non ad ſpem conſtituendi, ſtabiliendique imperiJ, quod tenere non poterant, ſed ad prae

ſentem paſtum mendicitatis ſuae. IVL. *Sed dic quæſo mi frater, qua conſtantia* Foedericus *purpuram, & ſceptrum, & inſignia regia depoſuerat, & quo animo* Regno *carebat ſuo, & quàm fortiter exſilium tolerabat.* Ludouicus *enim* Rex *illum ſupplicem, ad pedesque ſtratum erexit, non tamen illum regnare uoluit.* Et *hac quidem in re imitatus non eſt ueteres illos* Romanos *cum alijs uirtutibus inſignes, & claros, tum liberalitate, clementia, et magnitudine animi praeſtantiſſimos.* Etenim *hi cum* Antiochum Regem *illum magnum ductu, & auſpicijs partim* M. Attilij Glabrionis, *partim* L. Scipionis Europa, *&* Aſia *expuliſſent, intra* Taurum *tamen* Montem *regnare iuſſerunt, & omnem* Aſiam *præter* Lydiam, *&* Cariam, *qua illum multarunt,* Attalo, *ut is regnaret in ea, condonarunt.* Tigranem *etiam* Armeniorum Regem Cn. Pompeius *cum ad pedes ſe proieciſſet, ſubleuauit, & cum inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuiſſet, imperatis certis rebus regnare iuſſit.* Ptolemæum *etiam* Auletem Alexandréa *pulſum in* Aegyptum *reduxerunt, & propemodum regio in ſolio collocarunt, cum* Romam *profugiſſet, & diſſimulata perſona pictoris* Alexandrini *hoſpitio uteretur.* Et, *ne ſemper exemplis uti uidear domeſticis, nonnè* Traianus Hiſpani *generis homo,* Princeps *tamen* Romanus Decebalum Dacorũ Regem, *quẽ acie uicerat ad pedes iacentem extulit? & ſuo regno conceſſo priſtinã hominis dignitatem amplificauit?* Verũ *noſter* Foedericus *exſul, et extoris à patrio ſolo, et à* Dis Penatibus *fortaſſis animo magis perculſo & abiecto erat, quàm quis iſtorũ, quoniã recordabatur ſe filium* Regis *potentiſſimi natum, & illius quidem familiae, quae trecentos circiter annos perpetuo ſtemmate* Reges *profudiſſet, nec aliquem ferè eorum mortuum niſi* Regem, *& in* Regno *ſuo.* LEG. Temporibus *quidem ſeruiens* Foedericus *alacriter turbulentiſſimam illam tempeſtatem ſubijt, ornamentáque* Regia *depoſuit, ad quæ planè natus erat.* Fortunae *quoque acerbitatem, & temporum iniuriam ita ferebat, ut magnanimum decebat* Regem. *eſt*

enim magnanimi, cum alios omneis caſus exiſtimare inferiores eſſe ſui animi altitudine, & praeſtantia, tum uel in primis exſilium, quandoquidem, ut ex Cicerone didicimus, id non turpitudinis eſt nomen, ſed calamitatis. Verum in calamitates multas domi deſidentes, atque in patria otioſi prolabi poſſumus, quae omnis generis mala contineant. Enimuero Iuli, quanquam nihil tam miſerum eſt, quod in noſtram fortunam cadere non uideatur, tamen in his maximis noſtris incommodis, & erumnis ea conſolatione ſuſtentor, quod nulla noſtra culpa ita afflicti ſumus. Equidem intimis ſenſibus angor, ut ante dicebam, cum mihi in mentem uenit domeſtici ſplendoris, paternae amplitudinis, & ipſius patriae, quae mihi omni tempore cariſſima fuit, (homines enim ſumus, & animo uigemus, qui in eiuſmodi perturbationes facile diſtrahitur, ut modo gaudeat, modo doleat pro ratione rerum, quae obijciuntur ſiue iucundae, ſiue triſtes ſint) ſed ita non angor, ut exiſtimem in orbitate eiuſmodi rerum, & præſertim patriae, omnem uitæ noſtrae ſpem extinctam eſſe. quin confido in hac temporum uarietate, & fortunae uiciſſitudine tandem aliquando facultatem nobis datu iri ad priſtinum dignitatis noſtrae portum tenẽdum, quando impuritate profligatiſſimorũ hominũ ita commiſſum ſit, ut ex illo ſine gubernaculis egrederemur, et tempeſtati nos traderemus. Sed interim reuocandum nobis animum eſſe cenſeo ad rationem fortiter, ſapienterque ferendi haec omnia incommoda. IVL. Reuocaui iam pridem animum, ad iſtam, quam praedicas mi frater rationem ferendi aequiſſimo animo hæc omnia incommoda, idque tum mea ſponte, tum à te alijs fraterne, et ſapienter admonitus, eoque magis, quod cogitabam me puerum patria exceſſiſſe, ac propterea domeſticum ſplendorem penitus non perſpexiſſe, nec ſpectatorem unquam fuiſſe amplitudinis Laurentij patrui, aut parentis Iuliani, quippe qui ad ſummam uirtutis gloriam floreſcens multo ante inimicorum fraude nobis ereptus eſt. Veruntamen patriae amorem, & caritatem pene cum lacte nutricis ſuxiſſe m-

hi uideor, ita ut animum induxerim aliam celebritatem praeter, quàm patriæ odiſſe, alios, ſi liceret, homines fugere, aliam lucem uix aſpicere. Quamobrem à te peto, uel potius precibus omnibus oro, & obteſtor, ut mihi in antiquiſſimae, & ſanctiſſimae parentis patriae deſiderio, ac dolore ferendo non medicinam perpetuam afferas, qui enim hoc fieri poteſt? ſed exiguam doloris obliuionem. Oratio enim tua & grauitatis plena eſt, & afficit & mouet in primis'que, me & probos omnes, qui eam non fuco illitam, & delinimentis conditam norunt, qualem fundere ſolet magna iſtorum ſacerdotum pars, ſed ueritatis plenam perſpiciunt, nihil fingentem, nihil diſſimulantem, nihil etiã obtegentem. LEG. *Nullis ſanè precibus mecum agito Iuli, ſed nutu tantummodo. nihil enim optatius mihi eſſe poteſt, quàm ut me auctore ſtatutum habeas, ſaeuientis fortunae impetum hac maxime in re, te facile reprimere poſſe. atque etiam ut exiſtimes iſtam uitae conditionem, quam exſilium affert, non pèrinde iniquam, & calamitoſam eſſe, ut uulgus opinatur. Sed interim, ſi placet, conſidamus in ſedeculis iſtis, quae ſub imagine orbis terae ſunt, Laurentius'que noſter aſtabit & moleſtos arcebit interpellatores, enitemur'que nos uiciſſim, ut ſentiat ſe operam nauaſſe, quod nobis haec commentantibus ſuperuenerit. noſtra enim conſo!atione ipſe etiam indiget, quoniã pari fortuna abiectus uiuit, et afflictiore omnino conditiõe eſt, quàm alteruter noſtrum, cum puer admodum patria, & ſimul patriæ honoribus carere coeperit.* LAVRENTIVS *Egdẽ ſi reſciſſem ante uos in Bybliothecam incluſos quauis alia de re diſſerere, nedum de exſilio toleranter perpetiendo, libenter accurriſſem, ut uos audirem. uſque eò omnia, quæ à uobis proficiſcuntur, grata mihi ſunt, & iucunda. Praeterea ecquis exſul non ſtudioſe audiat exſilij cauſſam agi ab eo homine? qui etſi exſul eſt, exſilij tamen acerbitatem, & moleſtiam non admodum moleſte ferat, propter ſummam animi eius moderationem, admirabi'em ſapientiam, eximiam uirtutem, & incredibilem conſtantiam.*

LEG.

LEG. Nullam unquam Laurenti ſum laudem aucupatus de exſilio, quod facile, moderateq́; tolerauerim, quandoquidem honos, quem Romae, & in rep. noſtra gero, mihi omnem aditum praecludit ad patriae uoluptates, illiusq́; honores. quamobrem etſi in patria eſſem, tamen quaſi exſul in patria degerem. Verum id agamus, cuius gratia conſedimus. Tres, ut uideo, cauſæ afferuntur ab iſtis, qui uulgo ſapientes habentur, cur exſilium in maximis malis ducendum ſit. Primum, quod extra patrium ſolum exſul uiuat. Dein quod honoribus patriæ uti non queat. Poſtremo, quod neceſſarijs careat. Sed nos diligentiſſime conſideremus quanti momenti quæq; ſit, et diſpiciamus quàm iuſtæ, & quàm dignæ talium hominum ſapientum auctoritate, & prudentia cauſæ iſtæ haberi poſſint, ne id ſuſpicemur mala nobis inurere, quod uitam fortaſſe ad certam rationis normam dirigat, fortunæq; leuitatis, & inconſtantiæ nos admoneat. Laudant quidem iſti patrium ſolum, aiuntq́; illud ipſum eſſe debere optimo cuique tum carum, tum uero dulce, & iucundum. At multæ certe ſunt extra patriam & auguſta, & ſancta, quæ maiorem uoluptatem homini ſapientia ornato afferre poſſint, quàm natale ſolum. Iam uero quæ uoluptas capitur è rebus mutis, & inanimis, quibus alia magis, quàm alia patria conſtat? è rebus inquam mutis, et inanimis, ut ſunt magnificæ exſtructæ ædes, marmorea pauimenta, laqueata tecta. nulla ſanè ex id genus rebus capitur uoluptas, niſi ea, quam ſtulti quidam ſecuntur uulgarem totam, plebeiam totam. Sed poſitum ſit, patriam caritate ſui nos deuincire, & ad amorem allicere, ut omnino alliciat, Quid nobis propterea fiet? quandoquidem alias urbes non ſolum amamus, ſed etiam amplitudinem illarum, ſplendorem, & multiplicem apparatum admiramur. At perrarò iſtiuſmodi amoris, et ſimul admirationis faces patria ad nos admouet. Quid? non'ne, etiam ſi exſules ſimus, aliquando ita defixi ſumus in alterius urbis opibus admirandis, ludis ſpectandis, amicitijs colendis, ut patriæ obliuiſcamur, in primisq; ſi illa ingrata

ſit. Africanus uoluntarium exſilium non ſolum ſibi ipſi, ſed funeri etiam ſuo indixit. L. Antonius M. Tullij in conſulatu collega in Cephalenia exſul magnam inſulæ partem magnificis operibus exornauit, nec Romanus haberi amplius uolebat, quamuis urbem magno periculo liberaſſet oppreſſo Catilina. habebat præterea ſemper in ore. exſulat libenter Antonius, quia nulla ſua culpa patria caret, ſed quod exſules & hoſtes patriæ ingratæ affiixit. Ante hunc P. Rutilius Rufus philoſophus, ut ſuis temporibus præſtantiſſimus, idemq́; innocentiæ, & integritatis exemplum in iudicium uocatus cauſſam ſuam non magna contentione agi uoluit, patriæ orbitatem illius delitijs præponens. atque cum è neceſſarijs quidam eius conſolandi cauſſa dixiſſet, ades animo Rutili iam iam ſeditio inter ciues exorietur, omnesq́; exſules domum reuertentur, Ecquando, inquit, tibi iniurius fui? ut mihi peiorem reditum, quàm exitum optares. malo patriam in exſilio meo erubeſcere, quàm reditum mœrere. Itaq; Rutilius uita, moribus, uerbis etiã ſpecimen omnium uirtutum ſe eſſe oſtendit, cum ſumma uoluntate patria ceſſiſſet, & egregia animi alacritate abeſſet. Caliſtratus Athenis exturbatus amiciſſimum hominem deſpectui habuit, qui illi renũtiarat propediem fore, ut Athenienſes cogerentur exſules omnes reducere. iudicauit enim illud exſilium non eſſe, cuius alios magis, quàm damnatum puderet. Talis etiã fuit Q. Metellus, de quo Cicero. Quintus, inquit Metellus patruus matris meæ de ciuitate maluit, quàm de ſententia dimoueri, quod exiſtimaret alienum cælum nihil minus ſibi profuturum, quàm patrium. Nec præterierim in horum enumeratione Soſippum Syracuſanum Hieronis regis generum, qui legatus ab Hieronymo nepote ad Ptolemæum regem Alexandréam miſſus uoluntarium ſibi conſciuit exſilium. atq; illum ipſum neq; Heracleæ uxoris amor, conſilium mutare coëgit, neque filiarum deſiderium, neq; propinquorum, et amicorum beneuolentia, neq; Siciliæ, aut patriæ amœnitas omnium fermè urbium ea ætate pulcerrimæ. Coſmus etiam Proauus noſter

ſter Venetijs exſul ita leuiter ingratæ patriæ deſiderium ferebat: ut eo exſilio pene delectari uideretur. tanta uirtutis illius diuini hominis apud Venetos erat admiratio, tanta ſapientiæ exiſtimatio, tanta cum omnibus ciuibus coniunctio. Quinetiam patriæ propemodum oblitus uidebatur quandoquidem certo ſciebat, ſe magis patriæ ornamento eſſe, quàm patriam ſibi, nec diutius eã uelle, aut poſſe ſe carere. Fuit annum Venetijs, nec quiſquã toto eo tempore de homine audiuit ſe inuitum exſulare, quanquam uidebat neminem ſua memoria ciuem ex tam amplo patriæ ſuæ ſtatu, in tam bona cauſſa, tantis facultatibus ingenij, conſilij, gratiæ, tantis præſidijs bonorum omnium concidiſſe. Obliuiſcebatur ille, qui fuiſſet, non ſentiebat, qui erat, non intellegebat, quo carebat honore, qua gloria, quo ſplendore, quibus fortunis, qua auctoritate. Nihil pectus conſtantiſſimi et ſapiẽtiſſimi illius ſenis effodit memoria ornamentorum eorum, quæ domeſtica propinquis, hæreditaria duobus filijs relinquere cogitabat. At quibus filijs? prudentiſſimis, ſuauiſſimis, & cariſſimis. Horum etiam alterum non multo poſt, quàm ab exſilio reuocatus eſt, mortuum, uidit. Di boni quàm excelſo animo, quanta conſtantia, quanta firmitate ſummi illius luctus acerbitatem tulit. Ad eum mœſtum, ut ſuſpicabantur, cum primores ciuitatis conueniſſent conſolandi gratia, hominem offenderunt, qui iam conſilio, & prudentia præripuerat alleuationem doloris eius, quam illi dare cogitabant, aut diuturnitas ſolet afferre. Multas quoque conſolationes in mœrore ſuo minuendo uſurpabat, quæ memoriæ, & literis proditæ erant à grauiſſimis auctoribus Græcis, & Latinis. Ita ampliſſimi illi uiri magis coſolationem ab eo nacti ſunt ad graueis ſuos caſus, quàm eidem ipſi attulerint. è quorum numero Byzantium Argyropylũ fuiſſe audio Philoſophorum ſuæ memoriæ facile Principem, qui etiam ipſe acceſſerat, ut officio fungeretur beneuolentiſſimi, atque amantiſſimi hominis. nam is cum paulo poſt audiſſet Romæ filium ſuum interfectum eſſe, non admodum fracti, aut mœſti animi ſigna

*dabat.atque cum Petrus auus noſter miraretur hominem
tam moderate ferre cariſſimi filij interitum,& dolori for
titer ac fortunæ reſiſtere,reſpondit homo ingenuus,nec aſ-
ſentator,quamuis Græcus,ad leniēdum,& ſanandum ani
mum ſuum in tanto luctu, Coſmi dūntaxat Medicis patris
eius conſolationem uſurpare , quam ille in filij morte ſi-
bi ipſi adhibuiſſet. Plena uita exemplorū eſt,ſed adhibeat
oratio modum,& redeat illuc, unde defluxit. Patriam
quoque miris laudibus tollunt,quod cultum literarum,re-
cta ſtudia,ingenuas artes, uirtutem, honores denique lar-
giatur. Enimuero id magna ex parte falſum eſt,cum poti
us uideamus doctiſſimum quenque peregrinando eiuſmodi
ornamenta eſſe conſecutum . Toxaris ſordido penè loco in
Scythia natus Athenas uenit,ab Atticiſq; fontibus præce-
pta Philoſophiæ,& artis medicæ hauſit.Dein ſtatua,& di
uinis honorib.dignus habitus eſt ob peſtilentiam,qua popu
lum Athenienſem liberarat. Anacharſis,quanquam illu-
ſtrioribus natalibus erat, Athenas tamen conceſſit doctri-
næ gratia,magnoſq; ſuæ peregrinatiōis fructus cœpit.am
pliſſimis enim honoribus à Populo Athenięſi decoratus eſt.
Quæritis quales hi fuerint honores? Vnus barbarorum
omnium donatus ciuitate, unus Eleuſinijs ſacris initiatus eſt.*

*De patria ea loquor,dixerit qſpiam,quæ uel in Græcia,
uel in Italia ſit.Etenim quis Scytha modo ad literas doci-
lis ſit,non Scythiā,et tetram illam Barbariam relinquat?
ut in Græciam,aut in Italiam ueniat,Patriam uero Græ
ciam,aut Italam nemo relinquet. imò omnes ferè qui in-
genio excellunt,et laudis ſtudioſi,gloriæq; cupidi ſunt. Pla
to Athenas deſeruit,in quibus natus erat, urbem Græciæ
Plat. longe clariſſimam,ad Heliopolin'que remotiſſimum Aegy-
pti oppidum profectus eſt,ut ſacerdotib.familiariter utere-
tur,q eo loca numeros,motuſq; tractabant,& unde omnia
orirentur,et quò recederent,docebant,quique ſtudioſe eti-
am ſiderum magnitudines,interualla,curſus,& cuncta cæ
leſtia inquirebant . Tanto etiam Philoſopho comitem ſe ſe
adiunxit Eudoxus patriæ propèmodum oblitus,quæ Cni-*

dos inſula

dos inſula erat. Atq; hi primi hanc præclaram ſiderum ſcientiam in Græciam tranſtulerunt, florentiſſimiq́; poſtea fuerunt honoribus, gratia, & gloria. Alterã inſulam, Samum, ubi ſuſceptus erat, pauloante reliquerat Pythagora, ut Aegyptum luſtraret, Magosq; adiret, qui mox reuerſus in Græciam non modo exquiſitis honorib. dignus ab ſuis Græcis habitus eſt, ſed à noſtris etiam Italis, quos priuatim, & publice ornarat præclariſſimis inſtitutis, & artibus. Num igitur hunc pegrinatio, et longinquus à patria digreſſus coëgit in ſuis ſtudijs obmuteſcere? Num Ariſtotelem? qui Stageiris natus poſt, quàm inde receſſit, ſemel tantum in eas reuerſus eſt, quiq́; in Aſiam profectus cum Hermia Eunucho, qui Aternenſibus, & Aſſenſibus imperabat, ſumma familiaritate, coniunctiſſimusq; uitæ officijs uixit, illiusq́; ſororem in matrimonium duxit. Num Theophraſtum? qui Ereſſum in Mitylenis natale ſolum ſortitus, cum Athenas trãſmiſiſſet, ut Ariſtoteli operam daret, grauiter, & iniquo animo ferebat, ſiquis eum Ereſſium appellaret. atque etiam tam mirifico ſtudio proſequebatur Atticam, et præceptores, qui in Attica commorarentur, ut in ea mori uoluerit. Et Ariſtoteles quidem cum alios omnes diſcipulos ſuos eloquentes effeciſſet, hunc ipſum eloquentiſſimum, ac doctiſſimum reddidit. Num Archidemum Athenienſem clariſſimum è Stoïca familia Philoſophum? qui in intimos Perſas penetrauit, & more Græcorum Babyloni multas ſcholas habuit. atq; inde ſic diſceſſit, ut non minus triſte ſui deſiderium, quàm iucundam, diuturnamq́; memoriam nominis ſui reliquerit. complures enim Stoicæ diſciplinæ alumnos quaſi quoſdam ſuæ uoluntatis obſides & ſapientiæ, ac uirtutis pignora Babylonijs reliqt. M. Tullius Trebatium familiarem ſuum in Gallia commorantem, & molliſſimis cogitationibus effœminatum conatur ad erectum, excelſumq́; animum reuocare. Tu modo ineptias, inqt, iſtas, & deſideria urbis, & urbanitatis depone, & quo conſilio profectus es, id aſſiduitate, & uirtute conſequere. Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Co-

Artes

Theophr.!

Babyloni extra Stoicos fuit.

rinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ optimates, quibus illa manibus gypſatiſſimus pſuaſit ea omnia, quæ nunc audietis à nobis tralata ex Euripide Poëta, *ut ſcitis, eximio. de cuius etiam laudibus mox opportuniore loco dicemus.*

Corinthiæ *uiragines domo exij.*
Ne *uertite uitio. uidebam plurimos*
Geſſiſſe *rem feliciter patria procul,*
Multos *domi, contra, manentes torpide*
Vixiſſe, *& audiſſe ſimul à cunctis male.*

Tacitus *prætereo* Chryſippum Solenſem, Carneadem Cyrenaïcum, Clitomachum Carthaginienſem, Ariſtonem Ceum Stratonem Lampſacenum, Theodectem, *&* Critolaum Phaſelitas, *& alios innumerabiles* Philoſophos *doctrina, & ingenio ſingulari præditos, qui uel* Academeiam, *uel* Lyceum, *uel* Porticum *ſua diſciplina illuſtrarunt, cũ tamen ante in alias ultro conceſſiſſent urbes, easq; ſuæ laudis, & gloriæ domicilium eſſe uoluiſſent.* Nec *uero illos ratio ea mouit, quam ſolent afferre minuti quidam* Philoſophi, *& in rebus naturæ planè plumbei, cur patriam alijs urbibus præponere debeamus.* Bonus, *inquint, honeſtusq́; filius patrem alium in honore, & pietate patri ſuo non prætulerit. contra nec probus, ſapiensq́; pater filio ſuo, et germano neglecto, alium magis dilexerit filium.* Quid? *quod complures, inquiunt, comperias parentes, qui amore filiorum obcæcati, ita eos caros habent, ut pulcerrimi, et omnibus ornamentis præditi illis uideantur, quanquam deformes habeantur, omnibusq́; uitijs contaminata illorum uita ſit. asſeruntq́; propterea parẽtem eum, qui non talem ſe ſe filijs præbuerit iudicem, parentis oculos non habere. ideo patriæ nomen primum eſſe, et maxime proprium, cum nihil magis ſit proprium, quàm pater.* O *ridiculã rationem, et ineptam ſententiam, et ſuo planè auctore indignam. arbitrantur iſti eo loco nobis eſſe debere filios, quo patriam. nec perſpiciunt quantum interſit inter cauſſam filiorum, & patriæ.* Filios *qdem nos procreamus, de noſtris uiſceribus*

extrahimus,

extrahimus, cum uoluptate ſuſcipimus, noſtris manibus alimus, educamus, ad noſtros mores fingimus. illos ut expreſſas effigies animi, ingenij, uoluntatis noſtræ exhibemus, ſemperq; in oculis habemus uel dulci naturæ commendatione. ſed patriam fortuna, & temerarius quidam caſus nobis tribuit. At ubi? Nimirum in tera, quæ communis eſt omnium mater, & patria. Neq; uero natura certum unum circunſcribit locum, in quo commoremur, cui hæreamus, quem cum uoluptate intueamur, quem diligamus, in cuius amore aeqeſcamus, ut prudētes patres in proborum filiorum amore acquieſcere ſolent. imò ſapientiſſimus quiſque omnem orbem terarum unam Vrbem eſſe ducat. atque etiam illam ueram ſibi patriam eſſe arbitratur, quæ ſe peregrinantem exceperit. quæ probitatem, pudorem, uirtutem colit. quæ optima ſtudia, liberales diſciplinas amplectitur. quæ etiam facit, ut peregrini omnes honeſto ocio teneant ſtatum, et famam dignitatis ſuæ. quam ob rem Terentius ille Varro Togatorum eruditiſſimus, idemq; latinorum omnium ſapiētiſſimus putabat ſatis remedij hoc eſſe aduerſus mutationem locorum, ſi cogitaremus, quocunque ueniſſemus eadem rerum natura eſſe utendum. Vanum præterea, & nimis ſuperſtitioſum autumo, quod de Deorum beneuolentia erga certas inſulas, aut urbes comminiſcuntur, ſiue illæ mediterraneæ, ſiue maritimæ ſint. auctores enim ſunt, Deos ſua quęq; patria lætari, etiam ſi uideant uniuerſam teram, atq; adeo ipſum mare ſui iuris eſſe, ob eamq; cauſſam à mortalibus maiorem honorem haberi urbibus ijs, in quibus Di nati eſſent. Præterea nobiliores ac illuſtriores eſſe inſulas, ubi Deorum ortus celebraretur. Temporibus qdem Ciceronis erat in manibus aureola oratio C. Lælij de religione, in quamagna ex parte confutatum fuiſſe cultum iſtorum Deorum coniicio, multaq; de uera religione probata non ſuperſtitioſe, & aniliter, ſed phyſica, conſtantiq; ratione. Vtinam noſtris etiam temporibus illa extaret. dolos profectò, & fallacias, & machinas, & præſtigias ueterum in nobis decipiendis facilius refelleremus, & tam huberem fœtum-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

iſtarum religionum peius odiſſemus, quàm tabem, aut certe aliquam peſtilentium morborum labem. Enimuero qui in hac, uel in illa urbe nati ſunt, homines fuerunt, non Di. nec ſanè aliter potuiſſent naſci, cũ Deus nunq̃ ortus ſit, ac propterea nunq̃ occidet. idcircò impia & deteſtabilis eſt ſententia Anaximandri, conſtituentis Deos natiuos, longis interuallis oriẽtes, ac occidẽtes. Nec item Deus huic loco nomen, & ſplendorem. illi obſcuritatem & tenebras affert, cum omnia, quæ infra eum ſunt, ab illo ipſo æquè amentur, et foueantur. Homines autem illi fuerunt ſummo ingenio, ſummaq́; induſtria et beneficẽtia præditi, q̃ etiã in mortales merita cótulerunt maxima. mortui déinde conſecrati, in numeroq́; Deorum à ſtulta poſteritate, grata tamen, habiti ſunt. Virtutibus igitur honores habebantur, non Dis, ut Balbus apud Ciceronem teſtatur. Hoc etiã cum uiderẽt principes illi Chriſtianæ religionis auctores ſanctitate, & innocentia inſignes nullam carnificinam ſubire recuſarunt, quo ſimulacra talium Deorum commentitiorum ſubuerterent, quæ tamen ueteres religioſe colebant, & ſanctiſſime uenerabantur. Superiorib. etiã dieb. cum in Suburbanum exiſſem ꝑſtudioſe lectitaui Phœniſſas Euripidis poëtæ apud Græcos clariſſimi. uiſus mihi ſum excellentis alicuius Philoſophi ſcripta, non Poëtæ fabulã in manibus habere. multæ enim grauiſſimæq́; ſententiæ pronuntiantur ab ijs, quorum perſonas inducit loquentes. multæ rationes ex intima philoſophia repetuntur. pleraq; item concinne, ac ſubtiliter ediſſeruntur, quæ omnino declarant auctorem illum præſtantiſſimum ex Anaxagoræ diſputationibus, quibus eruditus fuit, complura in præclaris ſuis Poëmatis intexuiſſe plena doctrinæ, plena grauitatis, plena iucunditatis, plena gratiæ. atque propterea factum exiſtimo, ut ueteres omnes illum philoſophum Tragicum appellarint, Plato autem Poëtam ſapiẽtiſſimum. Memoriæ igitur mandaui ſenariolos multos ex eadem ipſa tragœdia, quos etiam græcos pronuntiarem, niſi uererer, ne parum æquis auribus illos audituri eſſetis, in primiſq́; tu Iuli, qui, ut alia omnia

prudenter

prudenter, ita hoc etiam facis. Nam iſtis Latinis ſuccenſendum putas, qui, cum latine diſſerunt, nimis, ut Plautus ait, græciſſant. et dum oſtentare volunt inductæ linguæ, ac inſtititæ cognitionem, ſuæ, ac patriæ imperitiam produnt. Quinetiam ſtomachum maxime tibi feciſſe audio, quod nuper uidiſti in Germania, & Gallia ſcriptos quoſdam libros in dialogo, & diſputatione, in quibus complures uerſus græci ex Demoſthenis orationib. et Plutarchi, ac Luciani libris, et ex Homeri, atq; Heſiodi, et aliorū ēēnt Poëſi inculcati. Dānabas aūt illorū auctores fretus opinor exēplo Platonis noſtri, et Xenophontis, qui apud Græcos magna cum laude in hoc ſcribendi genere ſe exercuerunt, cum neque hic in Pædeia Cyri ullo loco Cyrum perſica lingua loquētem inducat, quotieſcunque de rebus Perſicis agit, & Xenophon tamen linguam perſicam optime tenebat, neque ille, cum res Matheſeos explicat, uſpiam Aegyptiorum uerba uſurpet, à quibus numeros, & metiendi, ratiocinandiq; rationem acceperat. Auctoritate etiam M. Tullij iudicium confirmabas tuum, qui apud Pomponium Atticum græcæ linguæ peritiſſimum Epicharmi Craſtini quandam recitaturus ſententiam, dicam, inquit, ſi potero, latine. Scis enim me græce loqui in Latino nō plus ſolere, quàm in græco latine. Conuerti igitur in latinum hoſce uerſiculos, ut potui. non enim tranſmarinæ illius ueneris gratiam me aſſecutum puto. atq; in illis quidem Iōcaſta de filio Polynice ſciſcitatur rationem peregrinationis, uel potius exſilij ſuſcepti. illorum autem ſententiam religioſe, ut ita dicam, conſeruaui, uerbis tamen quaſi appenſis, non dinumeratis.

IŌ. Miſere Deorum quiſpiam Oedipi genus
Affligit, atque ſic nefanda, & tetra me
Patrare compulit, Parenti ut nuberem.
Tuo, ac miſera te inauſpicato eniterer.
Sed iſta cur? quæ cælites nobis iubent,
Ferenda ſunt. At quo rogem nunc te modo
Et pendeo animi, & pertimeo, ne morſibus
Cor uulnerem tuum. Sed huc me amor trahit.

Po. At quærito,nihilque prætereas uelim.
Nam quæ cupis cordi mihi ſunt maxime.
Iö. Primum quidem pernoſſe mens ardet mea
Num patria carere ſit magnum malum?
Po. Quammaximum,maiuſq; re,quàm oris ſono.
Iö. Sed qui iſtud eſt? tetri quid extorris ſubit?
Po. Id maximum,caret loquendi audacia.
Iö. Seruile dixti,non loqui quæ ſentias.
Po. Inſaniaſq; Principum pati eſt opus.
Iö. Acerbum & hoc,amentiam ſi foueris.
Po. Sed gratia lucri bene eſt ſi ſeruias.
Iö. Spes exſules paſcunt adagio dictitant.
Po. Pulcre intuentur,ſed nimis tarda eſt mora.
Iö. Nec tempus illas eſſe uanas indicat?
Po. Illis uoluptas eſt comes dulcis Dea.
Iö. Verum unde uictus ante nuptias tibi?
Po. Modo in diem uixi,modo eſurij miſer.
Iö. Patris iuuabant nil amici,& hoſpites?
Po. Feliciter age,nullum amicum habet miſer.
Iö. Nec ſplendor extulit uagum domeſticus?
Po. Egere acerbum eſt.me genus aluit nihil.
Iö. Mortalibus res eſt patria ſuauiſſima?
Po. Quàm ſit ſuàuis ipſe nunquam dixerim.

Viden Iuli quàm infirme Polynices contra fortunam paratus,armatuſq; erat? quàm præclare humanas res admirabatur? quàm aliunde pendebat? quàm extrinſecus bene,aut male uiuendi ſuſpenſas habebat rationes? quàm firmitatem,grauitatemq; animi nullam eſſe oſtendebat? qua niteretur,qua ægritudinem leuaret ſuam. Omnia profecto talis Herois ui tempeſtatum,& concurſu calamitatum erāt labefictata,& conuulſa. omnes ſuas miſerias tanto luctu afflictas,& perditam fortunam matri offert,et ab illa aſpici patitur. Viden etiam quàm exſilium pene uoluntarium ſubmoleſte ferat? quàm ſuarum offenſionum aculeos,& ſcrupulos omnes matri detegat? quanto etiam deſiderio patriæ flagret? cum exſilium dicat maximum ma-

lum eſſe, nedum magnum, & plane eiuſmodi, ut illius calamitas re magis, quàm uerbis intellegatur. Sed nos iam expendamus, ſi uidetur, quàm uere iſta pronuntientur. Equidem nunquam inficiabor patriæ orbitatem cauẽdam omnibus eſſe, ſi fieri poteſt: imo clariſſima uoce profitebor nullum ferè locum eſſe domeſticæ ſede iucundiorem. quod tamen initio huiuſce diſputationis falſum aliqua ex parte eſſe probaram. Sed tamen affirmauerim eiuſmodi patriæ orbitatem miſeram & erumnoſam, & calamitoſam dũtaxat ijs eſſe, qui afflicti, & calamitoſi etiam in patria uiuerent. quales habentur ignaui quidam homines, qui ad nulla uitæ munera apti ſunt, quique umbra, delitijs, otio, langore, deſidia animum infecerunt, & opinionibus, maliſq; moribus delinitum emolliuerunt. Roget quis, Polynices nõ ne ita affectus, ita animo, ac uitæ conſtitutus erat, ut ratio poſtulabat. forſitan erat. Sed nimirum ſordes domeſticæ illum inuiſum, atque exſecrabilem omnibus reddebant. Externa Oedipi patris expoſiti incunabula, illiusq; cum matre inceſtus: ipſius autem Polynicis prima adoleſcentia nullo cũ ſplendore acta, extra patriam in ſumma rerum omnium inopia. deſperatio redeundi in patriam. fraternæ contentiones, & illæ quidem grauiſſimæ, atque dominandi cupiditate incenſæ. id, quod etiam parentem Oedipum à Dijs precatum eſſe Socrates narrat Alcibiadi apud Philoſophorum Deum Platonem. Hæc tanta ſane mala in noſtra calamitate non ſunt. Patrem habui (ut in præſentia taceam patrem tuum Iulianum, qui ei obtigit frater cariſſimus, quiq; adoleſcentulus perijt) in libera ciuitate natum, gratia, gloria, auctoritate, & honore clariſſimum. magnitudine animi, ſplendore, liberalitate potentiſſimo cuique Regi parem. ſapientia, uirtute, innocentia, literatura omnium, qui poſt homines natos fuerunt, lõge maximum. De matre autem grauiſſima, atque optima femina nihil loquor, ne uidear Vrſinæ familiæ laudes uelle nunc attingere, ex qua orta eſt. fuit illa tamen, quod inter omnes conſtat, Romanæ pudicitiæ decus & conſtantiæ grauitatiſq; lumen eximium. atq; ha-

rum quidem uirtutum ornamenta illuſtrabat ſingulari religionis laude. Floremus etiã propinquis, affinibus, amicis, clientelis tum Romæ, & Florentiæ, tum Genuæ, & Venetijs. Liberali parentum educatione adoleuimus. Gymnaſia Italiæ celeberrima de noſtro in literis profectu ornatiſſima perſæpe teſtimonia dederunt. Liberalitatem exercuimus pro facultatibus ijs, quas adhuc reliquas nobis fortuna fecit. Quid loquar de dulciſſima hac noſtra germanitate? quam nulla unquam ſimultas diſtraxit, nulla iniuria exhulcerauit, nulla etiam hominum obliuio deletura eſt. Ne ſim ſaluus, ſi facilius uita carere poſſem, quàm te, & Iuliano fratre, qui nunc Venetijs eſt. atque utinam liceat mihi in complexu ueſtro extremum uitæ ſpiritum edere. Suſtentat etiam nos ea ſpes huius leuandæ moleſtiæ, quod complures adhuc in patria uiuunt paternæ uirtutis, atque felicitatis memores, qui augurantur ex priſtina noſtra in patria auctoritate, & rerum adminiſtratione ſtatum ciuitatis meliorem futurum. Itaque proſpicio in hac calamitate, ſiue mauultis propagationem acerbioris temporis dicere, nobis tabeſcendum non eſſe. quin in dies erectior animo ſum, & non modo id intellego, ſed etiam præter alios ſentio, nihil nobis conducibilius eſſe & ad publicam, & ad priuatam dignitatem, quàm præſtare culpam malorum, quibus urgemur, ſperóq; propediem uel in patria illa optatiſſima, ſi nõ alibi, nobis euenturam proſperam, æquabilem, perpetuamq; fortunam ſecundo uitæ curſu ſine ulla offenſione. Animum, inquit Polynices, demittat, & contrahat oportet extoris, & nihil audacter loquatur, & familiariter. Exiguis profectò animi ſui finibus magnitudinem animi aliorum circunſcribebat Polynices, cui uocem liberam eripiebat libido patris debacchata in ea uiſcera, ex quibus formatus erat, cui os comprimebat lectus ille genialis ab Iocaſta matre non externo alicui uiro, ſed filio ſuo Oedipo ſtratus. At ſermo nobis eſt de conſtanti uiro, quem natura, uoluntas, & conſuetudo aſſuefecerit tolerandis omnibus incommodis, qui infamiæ inſolens uiuat, qui ad laudem, ad

decus, ad honeſtatẽ natus, ſuſceptus, inſtitutus'q; ſit. An Pœnus Annibal fortunis ſuis ſpoliatus, & patria exterminatus debilitata uirtute fuit? & fractum animi robur ſe habere oſtendit? & quæ ſentiret non auſus eſt Antiocho Regi liberaliter expromere? apud quem exſulabat. Etenim illi ſuaſit, ut Græciam prouinciam ſibi non deligeret ad bellum cum Romanis gerendum, ſed Italiam, quoniam Romani non Aetōlos defenſos, aut Chalcidem in Eubœa captam, & caſtellum Euripi expugnatum, ſed Galliam ciſalpinam, Etruriam, & Campaniã uaſtatam audituri eſſent. quæ ſententia non modo animum Regis perturbauit, qui iam in Europam cum exercitu trãſmiſerat, ſed amicorum etiam conſilia uana eſſe docuit, qui Antiocho illius trãſmiſſionis auctores fuerãt. Quid? quod Antiocho Europa pulſo, cum Epheſi eſſet, nihilq; ille cogitaret de bello Romano, quandoquidem ſuſpicabatur illos in Aſiam nunquam traiecturos eſſe, unus contra ſententiam omnium Purpuratorum, & aſſentatorum illius auſus eſt, quæ ſentiret, aperte proferre. Siquidem magis ſe mirari aiebat, Romanos in Aſiam iam non perueniſſe, quàm incertum habere an eſſent uenturi, breuiorem eſſe ex Græcia in Aſiam traiectionem, quàm ex Italia in Græciam, & longe potiorem eſſe cauſſam, cur Romana arma in Aſiam moueantur ad auellendum Antiochum è ſuo, patrioq; regno quàm in Græciam, ad res Aetolorum, et aliorum ſociorum tutandas, cum præſertim opes, & uirtus Romana non minus floreret mari, quàm tera. clariſſima etiam omnium uoce perferri illos maximam ædificaſſe, atque ornaſſe claſſem, eamque circa Peloponneſi litora in ancoris iam ſtare. atque etiam proxime magnum nauium numerum Italia cum nouo Imperatore ſoluiſſe, cui Aſia prouincia decreta eſſet. ob eamq; rem finem faceret Antiochus ſperandi ſe Aſiam pacatam, & tranquillam habiturum, ſed potius cogitaret de illius ipſius imperio propédiem cum Romanis certandũ ſibi eſſe terra, marique, & aut illis imperium orbis terarum animo præſumentibus eripiendum, aut uictum, et regni poſſeſſio-

ne cedentem accipiendas quaſcunque pacis conditiones ui= ctor hoſtis dediſſet. Vnus igitur Annibal, quanquam exſul, ingenuum, liberum'que animum, & plane' ſua uirtute dignum in ſententia dicenda retinuit, & uera prouidit, & fideliter, ut ſcribit Liuius, prædixit. Ad Magneſiã etiam idem Rex cum Romanis pugnaturus cum Equites tranſue heret, exercitum'que luſtraret, & aciem illam inſtructiſſimam, & ornatiſſimam oſtentaret, putas'ne, inquit, conferri poſſe, ac ſatis eſſe Romanis hæc omnia? ſatis plane' o' Rex ſatis eſſe credo Romanis hæc omnia, etiam ſi ad rem auidiſſimi ſint. Rex Pruſia, cum apud eum Annibali etiã exſulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculæ uitulinæ mauis, quàm Imperatori ueteri credere? Vno eodem'q; tempore Alcibiades, & hoſtis patriæ iudicatus, & prouincia ſpoliatus eſt, ad Lacedæmonios'q; confugit uindicandæ iniuriæ cauſſa, quæ non à patria, ut dicebat, ſed ab improbis ciuibus ei fiebat. itaque eos impulit, ut aduerſus Athenienſes cum Perſarum Rege amicitiam, fœdus'q; ſancirent, Deceleiam caſtellum in Attica munirent, præſidio'q; impoſito intercluderent commeatus Vrbis, loca'q; frumentaria occuparent. Dein plebiſcito reſtitutus patriæ imperium locupletauit, dignitatem auxit, nomen ornauit. quod certe non eueniſſet, ſi exſul fractum animum, & temporibus conſentaneum ha= buiſſet. Neq; uero Themiſtocles ſingulari uirtute, et gloria ciuis animum deſpondere uiſus eſt, cum bonis ſuis publicatis, ſe inſuper exſilio multatum eſſe cognouit. imo` ad Artaxerxam Perſarum Regem ſe contulit, cuius patrem ad Salamina inſulam memorabili clade afflixerat, ad bellum'q; ingratæ patriæ inferendum hortatus eſt. Sed paulopoſt uir ille ad dignitatem, & gloriã natus conatum iracundiæ ſuæ morte ſedauit, cum tamen Artaxerxa illius auctoritatem ſecutus innumerabiles copias tera, marique contraxiſſet, cum quibus in prouinciam exiturus erat. Ornatiſſima Iſocratis oratio exſtat ad Nicoclẽ filium de laudibus Euagoræ patris Regis Cyprij, quam græcã Patris hortatu pu

er mira auiditate edidici unà cum tribus aliĳs eiuſdem elo-
quentiſſimi ſcriptoris orationibus de inſtitutione uitæ ad
Demonicum, de regno adminiſtrando ad illum ipſum Nico
clem, de officio ſociĳ, et ciuis erga Regem ſuum. Memini igi-
tur edidiciſſe Euagoram, & quidẽ priuatum Salamine pul
ſum in Syriam tranſmiſiſſe ad Solosq; in Ciliciam ueniſſe,
unde qinquaginta tantum lectiſſimorum iuuenum manu
comparata mox in inſulam tranſĳt, noctuq; Regiam in-
greſſus, quæ Salamini erat, hoſteis interfecit, patriam recu
perauit, ac regnum ſibi conſtituit, illudq; opulentiſſimum fi
lio Nicocli reliquit. quod tamen intra paucos annos ami=
ſit. cum enim prorupiſſet in omne genus intemperantiæ, ac
libidinis ab amiciſſimis obtrũcatus eſt. Nec Romani noſtri
in hoc uirtutis genere Græcis ullo modo ceſſerint. C. quidem
Cæſar à prædonibus captus, cum cuſtodiretur, illos in cru-
cem ſe acturũ minabatur, ſi liberaretur. nec Cæſar exſul
erat, ſed captiuus. M. Brutus cũ magis animatus, quàm pa
ratus conſilium inĳſſet de interficiendo Cæſare, quæ tor=
mentorum, & cruciatuum genera ſibi ante oculos non pone
bat? patriæ perturbationem, uincula, carcerẽ, uerbera, ecu
leum, uncum, ſcalas gemonias, & quamuis aliam ſui cor-
poris carnificinam. quod ſi hæc mala euitaſſet, perpetuum
exſilium ſibi neceſſario ſuſcipiendum eſſe proſpiciebat. Sed
quæſo audite quàm nihil ſummus ille uir angoribus ſe de-
derit, & quàm moderate, et tranquille, cum à patria abeſ
ſet, ſe geſſerit. nam ad Ciceronem ſcribens hæc planè uer-
ba uſurpat. An tu Romæ, inquit, habitare id putas incolu
mem eſſe? res, non locus oportet præſtet iſtuc mihi. neque
incolumis fui, Cæſare uiuo, niſi poſt, quàm illud conſciui fa=
cinus, neque uſquam exſul eſſe poſſum, dum ſeruire, & pa
ti contumelias peius odero omnibus aliĳs malis. Sed quem
planè Zenonem? aut Diodorum? aut Hecatonem? aut Pa=
nætium? aut illius diſcipulum Poſſidonium? aut alium cõ
ſtantiſſimum Stoïcum deſideramus? cum illius ipſius hæc au
dimus uerba ad Atticum ſcripta. Nimiũ, inquit, timemus
mortem, & exſilium, & paupertatem. Idẽ etiam pulcer

rimum de uirtute librum ad Ciceronem ſcripſit, quo quidẽ teſtatur ſatis hoc eſſe in exſilium euntibus, quod liceat uirtutes ſuas ad eum locum ferre ſecum, ad quẽ migraturi ſint. Neque uero Eulogium illud præteribo, quo in eodem libro proſecutus eſt Marcellũ Mitylenis exſulantem. Marcum, inquit, Marcellum Mitylenis exſulantem uidi, & quantum modo natura hominis pateretur, beatiſſime uiuentem, neque unquam bonarum artium cupidiorem, quàm illo tempore, ac propterea uiſus mihi ſum magis in exſilium ire, qui ſine illo rediturus eſſem, quàm illum in exſilio relinquere. Memoria quoque arbitror uos tenere multas Ciceronis epiſtolas, quibus hunc ipſum Marcellum hortatur, ut in patriam redeat, cuius compotem C. Cæſar illum prolixe, libenter'que fecerat, cum tamen illa ipſa facile, & æquo animo careret, nihilq; ſolicitus eſſet de impetu prædonum in fortunas ſuas. Nũc uero, inquit Cicero, nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patria, nec eam diligere minus debes, quod deformior eſt, ſed miſereri potius, nec eam multis claris uiris orbatam priuare etiam aſpectu'tuo. Denique ſi fuit magni animi non eſſe ſupplicem uictori, uide ne ſuperbi ſit aſpernari eiuſdem liberalitatem. Et ſi ſapientis eſt carere patria, duri non deſiderare, etſi rep. non poſſis frui, ſtultum eſt nolle priuata. Videbat Cicero illũ ſe in patriam inuitare, qui exiſtimabat nihil eſſe dulcius otio literato. At quas literas colebat Marcellus? Nempe nõ eas, quas nunc animaduerto à Grammatiſtis quibuſdam Romæ ſolas arripi, & oſtentari, ſed planè eas, quibus infinitas rerum, atque naturæ, & in hoc ipſo mundo cælum, terras, maria cognoſcimus, quibus etiam docemur uulgares honores contemnere, opes pro nihilo ducere, tempori, & neceſſitati parere, et animum contra omnes fortunæ ictus inuictum obtinere. Polynices etiã matri refert generis, et familiæ nobilitatem nihil opis ſibi attuliſſe, quam ob rem eguiſſe, domeſticisq; incõmodis ualde conflictatum uixiſſe. Id quidem uitium fuit exſulis, non exſilij. natalium enim ſplendor, niſi comitem habuerit uirtutem, & induſtriam, nõ plus

prodeſt

prodeſt eum obtinenti, quàm cæco, ſpeculum, aut ſurdo, tibicen, aut in tera habitanti, clauus, aut gubernatori nauis, aratrum. Quid? quod complures ueterum memoria excellenti ingenio, & doctrina uiri, ſummoq; loco nati, patria ſimul & domeſticis commodis non caruerunt. imò publicis patriæ muneribus uacui & commode uixerunt & ſui otij opera multa reliquerunt, quod tamen minus feciſſent, ſi in patria illis uiuere contigiſſet. Thucydides Athenis familia nobili, & honorata ortus cum prætorio imperio claſſi præeſſet, accuſatus eſt, quod remp. male geſſiſſet. nam Amphipolis ab imperio Athenienſi deſciuerat, exſilioq; multatus in Scapten ſiluam in Thracia, uel, ut alij ſcribunt, in Aeginam inſulā ſeceſſit, ubi maximam bonorum omnium beneuolentiam obtinens ornatiſſimam illam rerum Athenienſium hiſtoriam ſcripſit. in qua quidem eodem quaſi claſſico eloquētiæ uſus mihi uidetur, quo res ipſæ ab Athenienſibus geſtæ ſunt. Pari etiā fortuna afflictus eſt Xenophon è Socratica ſchola profectus, uir ſine controuerſia cum foris clarus, tum domi admirandus. Etenim poſt militiam, qua cum Cyro minore perfunctus eſt, patria exturbatus ad Lacedæmonios ſe contulit, à qbus honorifice exceptus, liberaliterq; tractatus, demum Scillunte oppido eſt donatus. quo loco quietiſſime uixit, otiumq; ſuum præclariſſimis monimentis illuſtrauit, quæ poſteritati etiam reliqt. Pauſania rerum Græcarum indagator perdiligens tradit eundem ipſum Xenophontem, dum Scillunti eſſet magnifico apparatu ædificaſſe templum Dianæ Epheſiæ, eidemq; lucum adieciſſe. Laus quoq; teſtimonij, & iudicij tribuenda eſt Aeſchini oratori qui propter ignominiam iudicij cum Athenis ceſſiſſet, & ſe Rhodum contuliſſet uiſus eſt è Peiræo Atticam eloquētiam in Aſiam prouehere. nam eo magiſtro Rhodij complures adoleſcentes omiſſis cæteris ſtudijs ad laudem dicendi exarſerunt, & ſeſe cotidianis commentationibus acerrime exercuerunt. atq; inde ortum eſt genus dicendi Aſiaticum, quod uſque ad ætatem Cæſarum noſtrorum uiguit. Magni etiam illi habiti ſunt honores, ampliſſimaque uirtutis præmia

decreta·Ergo uir hic ſummus,ut uidetis,aduerſos caſus ſapienter tolerauit,fortuna fractus non eſt,& in rebus aſperis dignitatem retinuit ſuã. Nec multo etiam poſt Demetrius Phalereus Theophraſti auditor,princepsq́; Athenienſis cum patria eiectus eſſet iniuria,ad Ptolemæum ſe Regem Alexandream contulit,qui hominis ingenium,literas,& conſtantiam admiratus honorificentiſſima ſtudia,& officia in eum,quamuis exſulem contulit. ac propterea auctor fuit,ut tantus princeps priſtinam fortunam non deſideraret,multaq́; mirabiliter ſcriberet. Comperi etiam memoriæ proditum in Stobæi Eclogis eundem ipſum Demetrium ſuadere ſolitum Ptolemæo,ut multos codices compararet,& lectitaret,qui eſſent de regno,& principatu ſcripti,quãdoquidẽ in illis reperirentur notata ea,quæ amici nó auderent Regibus libere dicere. Omnino optimo cuiq; Athenis accidere ſolitum erat,ut in exſilium proijceretur, quem morem noſtris etiam temporibus à pluribus ciuitatibus ſeruari uideo. Innocentius·VIII·Pont·Max·meo potiſſimum rogatu Hermolaum Barbarum,Venetum Aquileienſib·ſacris publice præfecit·hunc ego ſumma obſeruantia colui,hominisq́; tum ſummo ingenio,ſummaq́; induſtria, tum ſtudijs,ac omni doctrina magnopere delectabar·& eo magis quod intellegebam illum tantarum uirtutum laude,& patriæ,& Italiæ & Reip· noſtræ eſſe ornamento. Ante quidem in Vrbem à Venetis miſſus legationis munere fungebatur apud Pont·Max·et nos ſummi ordinis Antiſtites·Dein exſilio affectus eſt,quod eiuſmodi ſacerdotium Aquileienſe ſuſcepiſſet ſpreta auctoritate, ut dicebant, ſui Senatus. Ne uinam,ſi acceptior nobis non erat,& neſcio quo pacto admirabilior illius priuati uirtus nobis non uidebatur, quàm ante cum publicam perſonam gereret, ac tanti Senatus res procuraret·quam ob rem multum honoris ei priuato deferebamus,quod intellegebamus ſapientiæ, grauitati,conſtantiæ,moderationi animi illius totum id deferri oportere, magiſtratum autem gerenti cum honorem habebamus,Senatui dúntaxat Veneto,à quo legatus miſſus

erat,

erat, nos honorem habere ſuſpicabamur. Exſilium igitur Barbaro non ſolum calamitatem detraxit, ſed etiam dignitatem auxit. quod quidem ita conſtanter, moderate'que ferebat, ut facetiſſime iocaretur, Muſas illud ſibi à patria impetraſſe, quoniam ægre ferrent hominem ſuis ſacris initiatum ambitione uulgarium honorum diſtineri, & plebeis occupationibus impediri. Itaque plura ſcripſit biennio exſul, quàm. XX. ante annos, cum patria frueretur, & honoribus illius florentiſſimus eſſet, Recognitionem erratorum Pliniani codicis, explanationem librorũ de anima Ariſtotelis, cum tamen ante eiuſdem Philoſophi libros talis argumenti in latinum conuertiſſet, & XVI. libros de ratione diſſerendi, ueteres Peripatetici organon eos appellant. & V. Rhetoricos, & unum Poëticum, octo'que Dioſcoridæ Medicos, quos alio etiã opere inſtruxerat, quod Corollarium inſcribebat. Adiecerat quoque pulcerrimam expoſitionem ad libros Analyticos poſteriores Ariſtotelis ante in latinum tralatos. Et hæc quidem omnia adhuc diligentiſſime aſſeruari uidi à fratribus illius, cum ſedecim abhinc annos Venetijs Bybliothecam illius excuterem. atq; incredibili ſum lætitia elatus, cum cognoui doctiſſimi, amiciſſimiq; hominis elucubrationes non intercidiſſe, quod ne eueniſſet, magnopere uerebar, cum in Suburbano Oliuerij Caraphæ Collegæ mei ex peſtilentia obijſſet, & domeſtici, intimiq; familiares fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſent, omniáque tanquam bona caduca in medium reliquiſſent. ſed eius generis ſcripta ab interitu, & furto uindicata fuiſſe narrabant Zenotelis cuiuſdam opera, quem ille habebat ad manum. Solebat autem perſæpe mihi recitare, quæ ex Ariſtotele faciebat latina, iudicium'que exquirebat meum, quod ſic tamen interponebam, ut perſpicere poſſet placere mihi ſuam induſtriam, et diſciplinæ Peripateticæ intellegentiam, quæ neceſſaria eſt homini in tali ſcribendi genere uerſanti, nõ ſatis autem probari dicendi rationem, qua in ſententia Ariſtotelica exprimenda utebatur. Sed hoc illius ætatis fuit uitium, ut à puritate latinæ linguæ abhorrerent. In ore quidem uiget

Hermolaus, ut uidetis, ob miram hanc conſtantiæ laudem, ſed nullius tantum eſt flumen ingenij, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta uis, tantáq; copia, quæ enarrare poſſit quàm Iwannes Franciſcus princeps Mirandulanus in omni re ſe præbuerit, quæ ad uirum conſtantem, magnanimum, et inuictum, pertineat, quamq; ſe præſtiterit dignum omnibus laudibus, quib. homo ſapiens decorari ſoleat. quarum præcipua hæc eſt, illum turpitudine, non caſu, non inuidia, non aliorū iniuria commoueri debere. Mirādulano Principatu excidit, annos octo eo caruit, Italiā, Galliā totam, Germaniā totam, & maximā Daciæ partem exſul pagrauit, nec tamen interea unquam literarum ſtudia intermiſit. Itaque commentando, ſcribendo, docendo amiſſi Principatus dolorem leuauit, & in Philoſophia quaſi tabernaculo uitæ ſuæ collocato, oſtendit, plus à uirtute ſibi datum eſſe, quàm fuiſſet à fortuna ablatum. Ne multis. Iulius ipſe Pont. Max. admiratus tam inuſitatam, inauditam'que conſtantiam, tantam in domeſticis erumnis perpetiendis facilitatem, & animi æquitatem, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam primus afflicto, & iacenti Pontificiam fidē, dextram'que porrexit, illum'que non dicam diffidentem rebus ſuis, ſed timentem confirmauit, & afflictum recreauit. Siquidem excogitauit quemadmodum calamitatem hominis non modo leuaret, ſed etiam honeſtaret. Quid enim magnificentius? quid glorioſius illi poterat contingere? quàm ſuarum copiarum præfectis mandare, ut primo quoque tempore eum ipſum principatui reſtituerent ſuo, auctoritateq; ſui imperij ſaluum præſtarent. quod cum tardius effici uideret ob uarias Ducum uoluntates, ille ipſe Pontifex in caſtra ſe contulit, rebusq; gerendis præfuit, atq; Principem noſtrum, non multo poſt patriæ, principatui, & Muſis reddidit ſuis. quo facto nimirum teſtatus eſt, ad officium boni Pontificis pertinere, Italiæ Principes tueri, ſubleuare, ornare, non tollere, & opprimere. id, quod cum magna omnium Italorum clade ſuperiorib. annis ab Alexandro VI. fieri uidimus. quanquam huius generis officia ab illo

*exſpectanda erant, ut à Pontifice Maximo, & Chriſtianæ
religionis Principe, non ut ab Hiſpani generis homine, cu-
ius proprium eſt rationib. & commodis Hiſpanorum con-
ſultum uelle, non Italorum. Vulnera q̃dem noſtrorũ ho=
minum non refrico, ſed apparent, nec oculi poſſunt. Et
fortaſſe maiore ſupplicio digni uideri poterunt noſtri Ita-
li, qui ſanctiſſima Italiæ templa, & tecta non patriam,
ſed prædam putantes animum tam ferocis Pontificis inci-
tarunt ad perturbandam Italiam, idq́; armis tranſalpina
rum gentium, quæ ultro, nedum inuitatæ Italiam inuade=
re cupiunt. Equidem, ut de meo officio aliquid etiam nũc
dicam, à principio ſtudebam non nimius nobis uideri in
referendis exemplis ueterum, & recentiorum, qui hac con
ſtantiæ laude inſignes fuiſſent. ac propterea ab longiore
enumeratione eorum ſuperſedendum cenſebam, ſatisq; eſſe
exiſtimabam ſi magis inſignium uirorum exemplis pro-
baſſem, hominis ſapientis fortunam miſeram omnino eſſe
non poſſe in exſilio, et procul à patria. Sed tamen cum ob-
ſeruaſſem nonnullos è ueterib. Chriſtianæ religionis aucto
ribus magis tali genere uirtutis florere, quàm huiuſce re=
ligionis expertes, impie uiderer mihi facere ſi illos ſilen=
tio præterirem. Accedit etiam, quod nos ei Religioni præ
ſumus, quam illi ipſi & accurate ſunt interpretati, & ſua
honeſtiſſima uita illuſtrarunt. ita ut neceſſe habeamus no=
men, & uirtutes illorum prædicare, & facta ac dicta ad
imitandum proponere. Atque ex eorum numero primus
occurrit Ioannes Chriſto Deo noſtro & cognatione, & fa-
miliaritate coniunctus, qui idem princeps Theologus ap=
pellatus eſt. hic autem in Patmo inſula exſul Theolegumé=
non libros confecit, unde reuocatus uitam, mores, inſtituta,
facta Chriſti memoriæ prodidit. quam Hiſtoriam ſæpenu-
mero inter ſacra magna cum ueneratione aſtanti populo
legimus. Chryſoſtomus etiam in Cocuſſum Cappadociæ op
pidum ablegatus ſacras literas, & recentioris Theologiæ
diſciplinam ab Euſebeio acceptam, auctam'que per ſeſe uir
ingenio præſtans, omnique doctrina, plurib. & illuſtriori-*

Greg. Nanzianzenus

bus literis explicauit. Nefas autem eſſet præterire Gregorium NaZianZi ortum, uiculus is eſt in finibus Cappadociæ, qui præclariſſima ſua doctrina non ſolū de ſuis Græcis bene meritus eſt, ſed etiam de noſtris Latinis. nam hunc Hieronymus noſter ſuum agnoſcit præceptorem. Sed tamen de maximo ByZantij ſacerdotio deiectus, atque urbe exterminatus, uicum ignobilem delegit, ubi interiret. Hoc qdē nemo è Chriſtianis ſacerdotibus plura & uerſu, & ſoluta oratione ſcripſit, & maiore cum libertate. Iulianum enim Cæſarem ByZantium in Chriſtianos inuadentem & ſcriptis, & auctoritate repreſſit. Eunomianos in Chriſti Maieſtatem illudentes multis, grauiſſimisq; orationibus fregit. Religionis auctoritatē, quæ à falſis interpretibus, uulgo hæreticos appellant, egregie tutatus eſt. Vtinam incorruptam græcæ linguæ integritatem ſeruaſſet in tanta rerum ſilua, & tam magna librorum ui, certe ſanctiſſimum illum Pontificem omni laude cumulatum iudicarem. adeſt enim in eodem ipſo grauitas cum comitate, doctrina cum iudicio, copia cum uarietate, ſanctitas cum ſapientia. Ex illius maxime ſcriptis Barbariem irrepſiſſe in Theologiam latinam arbitror. nam ueteres noſtri interpretes mediocris literaturæ, nullius ferè iudicij homines, cum animaduerterent Theologum hunc frequenter uſurpare uoces quaſdam nouas, easq; non ſatis apte fictas, neceſſe ſibi eſſe crediderunt illas latine reddere. atque hunc in modum ſordida barbarie eſt lingua latina infuſcata, quam in dies nitidiorem fruſtra, ut uideo, reddere conamur, tot imperitis aduerſantibus, tantaq; copia malorum ſcriptorum repugnante. Audiebam etiam puer ex Demetrio Chalcondyla græcarum rerum peritiſſimo Sacerdotes Græcos tanta floruiſſe auctoritate apud Cæſares ByZantios, ut integra illorum gratia complura de ueteribus græcis Poëmata combuſſerint, in primisq; ea ubi amores, turpes luſus, & nequitiæ amantum continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, & Saphus, Erinnæ, Anacreontis, Minermni, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidiſſe. tum pro his

ſubſtituta

ſubſtituta Nazanzeni noſtri poëmate, quæ etſi excitant ani
mos noſtrorum hominum ad flagrantiorem religionis cul
tum, non tamen uerborum atticorum proprietatem, & græ
cæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem Sacerdo
tes iſti in ueteres græcos maleuoli fuerunt, ſed integritatis,
probitatis, & religionis maximum dedere teſtimonium.
Cyrillus quoque ſempiterna laude uidetur decorandus, q̃ Cyrillus
leuiſſime ſuũ in Naxo inſula exſilium tolerauit, idq́; Prin-
cipatu Magni Conſtantini. apud quem poſtea tanta gratia,
et auctoritate ualuit, ut cum bona eius uenia complura ue
terum Deorum ſimulacra ſubuerterit. quo defuncto cum po
teſtas rerum omnium penès Iulianum eſſet, illius iuſſu diſ
ſectus eſt, mandauitq́; inſuper crudeliſſimus Tyrannus, ut
Purpurati ſui uiſcera ſanctiſſimi, & innocentiſſimi homi-
nis epularentur. Et hi quidem Græci homines quanquam
inique à ſuis uel ciuibus, uel Principibus damnati, expulſiq́;
ſunt, tamen, quia ciuitates ſuas maximis beneficijs affecæ-
runt, in tanta hodie gloria ſunt non in Græcia ſolum, ſed
etiam apud nos, atque in cæteris teris, ut eos, à quibus illi
oppreſſi ſunt, nemo niſi cum ignominia nominet, atque eti
am afflictam horum ipſorum fortunam potentiæ, domina
tioni, uictorijs et trophæis illorũ præponat. Supeſt Poë
ta eximius Homerus, idemq́; literarum princeps, cui re-
ſpondeamus multa de ſuo Vlyſſe canenti. Hic enim cum
uirum ſapientem informaturus eſſet, Vlyſſem, ut ſcitis, dele
git uel ciuem ſuum, quod uideo Græcos quoſdam ſentire,
uel amiciſſimum, quem hoc genere uirtutis præ alijs excel-
lere oſtenderet, quod conſtantiam omni tempore tutatus eſ-
ſet, & in diuturna illa erratione memoriam patriæ ſem-
per conſeruaſſet. Induxit autem illum ipſum apud Alcino-
um commemorantem erumnas, quibus conflictatus eſt, dum
domum, & ad lares familiares redire uellet, neceſſitudi-
nesque grauiſſimo caſu perculſas ſubleuare cuperet. itaq;
hæc pronuntiat.

Cernere nil aliud patria iucundius unquam
Ipſe queam –

Ac tanti quidem ipſe Vlyſſes ſuam illam patriam Ithacam faciebat, quæ tamē quaſi crepido montis è ſcopulo prominebat, aut quaſi nidulus quidam affixus erat aſperrimis ſaxulis, ut non dubitauerit delatam repudiare immortalitatem. Quid? quod Minerua audet apud Iouem teſtatum relinquere Vlyſſem ſuum mortem nullo modo eſſe deprecaturum, ſi patriæ dulciſſimæ fumum tantummodo aſpiceret. atque ſic ait.

Quin etiam patriæ fumum ſi cernere poſſit,
Continuo ſapiens uitam exhalabit Vlyſſes.

Ad patrij igitur fumi aſpectum ſapientiſſimus Heros mori uolebat. nam patriæ ſe totum dediderat, & in eandem ipſam omnes curas, cogitationesque contulerat, & omnia ſua quaſi conſecrarat. Egdem huic tanto auctori tanquā obſignatis tabellis litem retorquendam puto, & teſtificandū quid ſenſerit aliquando, aut egerit. Fingit enim Heroem illum, quem ornandū ſuſceperat, nihil magis in optatis habere, quàm patriam repetere, cum ipſe tamen Poëta nec patriam ullam agnoſcat, nec in certa urbe conſiſtere uoluerit, ſed potius circulatoriam quandam uitam agere, omnemq; patriæ ſupprimere mentionem. quod item cauſſæ fuiſſe arbitror, quā ob rem tantæ contentiones ab urbibus Græciæ, et Aſiæ ſuſceptæ ſint de ortu illius. Et diuinus qdē ille uir Plato humanæ ſapientiæ ſummus magiſter, & auctor, nonne Homeri dignitatem oppugnat? & uoluntatem ſuam ab illius uita abhorrere oſtendit? cum tamen ante eundem ipſum, ut Poëtam mirum, & cæleſtis ingenij uatem auctoritate iudicij ſui, & beneuolentiæ teſtimonio ornaſſet. Eſt enim, ut ſcitis, in princpe pagina decimi libri de rep. his ipſis uerbis loquens Socrates. De alijs qdem nullam, inquit, exigamus rationem. ſed de Homero, aut de alio quouis Poëta ſciſcitemur num eorum quis Medicus fuerit, non uerborum duntaxat medicorum imitator. Ecquos enim morbo liberauit Poëta de ijs, qui ueterum memoria, aut noſtra uixerunt? ut feciſſe dicitur Eſculapius, aut quos medicæ facultatis diſcipulos reliquit, ut liberos ille ſuos? Sed neq;

Homerū inutilem hoībus fuiſſe.

molesti

*moleſti illis fuerimus de aliarum artium genere quæren-
tes, atque ita miſſos illos faciamus. quin potius de maximis
illis, & præclariſſimis rebus, quas idem ipſe* Homerus *ex=
ponit, ut de prælijs, de exercitibus, de rerũ pub. adminiſtra
tione, de hominum inſtitutione, operæpretium eſt ad hunc
fortaſſe modum hominem interrogare.* O` *ſuauiſſime* Home
*re niſi tertius à ueritate es, atque ſimulacrum uirtutis fin=
xiſti, quem quidem artificem, imitatorem ſupra deſcripſi-
mus, ſed planè ſecundus es, poteſq; perſpicere quibus inſti
tutis tum publice, tum priuatim homines boni, aut praui
ſunt, cedò quæſo ecquæ reſp. per te rectius conſtituta, tempe
rataque ſit? ut per* Lycurgum Spartana, *et per alios mul
tos, paruæ complures ciuitates, & amplæ. atque etiam quæ
nam ciuitas te eum agnoſcit, qui prudenter leges ſanxe-
ris? & ſibijpſis præſidio fueris, ac ornamento?* Italia *qui=
dem, &* Sicilia Charondam *agnoſcit, & nos* Solonem, *te
autem quis poterit teſtari talem fuiſſe?* Neminem *planè, in-
quit* Glauco, *arbitror eſſe, qui ita de* Homero *ſtatuat.* Tũ
Socrates. Nec *id quidem ipſum, inquit, ab* Homeri *ſtudio-
ſis affirmatur.* Sed *quodnam bellum ſuſceptum* Homeri *tem
poribus memoratur, quod eo ſuaſore, aut certe* Imperatore
feliciter geſtum ſit? Hic *ille.* Nullũ *inquit, profectò.* Tum
Socrates. Q*uænam multa, inquit, conſilia huius & ſaluta=
ria, & hominis rerum prudentis commemorantur data uel
ad artes excolẽdas, uel ad munera uitæ obeunda? ut* Tha
letis Mileſij, & Anacharſis Scythæ. Tum Glauco, Nul-
lum, inquit, ſanè tale. Hic Socrates. Et *quanquam, inquit,*
Homerus *publice neminem docuit, priuatim tamen uiuus
quibusnam inſtitutionis dux fuiſſe dicitur? ijs inquam, qui
cum homine familiariſſime coniuncti fuerunt? & poſte=
ris uiam aliquam* Homericæ *uitæ indicarunt? quemadmo
dum* Pythagora *ille hanc ob cauſſam mire cultus eſt, &
adhuc etiam alumni, uitæ illius inſtituta prædicantes clari
inter alios, inſignesq; ſunt?* Et Glauco. Nihil, *inquit tale
de homine celebratur.* Creophilus *enim ò* Socrates Home=
ri neceſſarius, ſi rationem habeas diſciplinæ, magis ridicu=

lus apparuerit, quàm nomen ſit. dummodo quæ de Home*ro feruntur uera ſint. dicunt enim remiſſiore animo coluiſſe* Homerum, *quoad apud illum uixit.* Hic Socrates. *Certe, inquit, rumor talis manauit.* Sed *credin* Glauco *ſi re uera* Homerus *poterat homines erudire, cultioresq́; reddere, ut qui poſſet hæc ipſa nō imitari, ſed nota habere illū, multos implicitos conſuetudine ſua, & beneuolentia ſtudioſos homines habiturum fuiſſe? à quibus, & coleretur, & honore afficeretur.* Enimuero Protagora Abderita, & Prodicus Ceus, & *alij plerique poſſunt æqualibus ſuis ſuadere ſi eos conuenerint, illos neque ſuam ipſorum patriam poſſe præclare adminiſtrare, neque rem familiarem tueri, niſi eorum diſciplinam ſequantur, & propter iſtiusmodi ſapientiæ genus tanto ſtudio obſeruantur, ut paulum abſit, quin à familiaribus ſuis capite geſtentur.* An Homerum, & Heſiodum *ſi hominibus adiumentum afferre potuiſſent, æquales illorum permiſiſſent ita uagari carmina cantantes? & non magis illos admiſiſſent, quàm aurum & argentum? & coëgiſſent ſecum domi eſſe? atque niſi eos in ſententiam ſuam adduxiſſent illos ipſos nimirum quocunq; ire contigiſſet proſecuti eſſent? quoad illorum animi ſatis ad humanitatem, & uirtutem informati euaſiſſent.* Q*uāquam autem* Plato *ſapientiſſimus uir* Græciæ, *longéque doctiſſimus de maximis* Poëtis Homero, & Heſiodo *literarum monimentis hæc prodidit,* Pauſania *tamen utriuſque* Poëtæ *uitam à maledicentia uindicare ſtudet.* Heſiodus *inquit, &* Homerus *uel fortuna cum* Regib. *conſuetudine deuincti nō fuerunt, uel certo conſilio eam contempſerunt. alter quidem ob ſubagreſtem naturam, & errationis tædium, ſed alter ob longiſſimam peregrinationem, & iudicium, quo nominis ſui gloriam apud multos, prætulit commodis, quæ à* Principi*bus exſpectari poterāt.* At *noſter* Vergilius Romæ *conſiſtens pleraque & mente prouidit, & auctoritate probauit, & oratione perſuaſit. quápropter nomen ſuum non modo ſingulari illa faciendorum uerſuum laude immortalitati commendauit, ſed etiam grauiſſimis, ac ſapientiſſimis conſi-*

lijs, quæ cum alijs pleriſque, tum ipſi potiſſimum Auguſto orbis terae principi dedit in rep. adminiſtranda, & dignitate ſua retinenda. ac propterea gratus, iucundusq́; tanto principi fuit, & admirabilis uniuerſo Populo Romano. Nec in morem circulatoris peragrauit Græciam, & Aſiam carminibus cantandis, ut Homerus, et Heſiodus, ſed Romæ, ut dixi, permanens, quæ una in omnibus teris domus eſt uirtutis, imperij, & dignitatis, maxima ſuae uirtutis praemia eſt conſecutus. Q uinetiã ille uictor gentium, principsq́; terarum Populus ei uerſus ſuos in Theätro pronũtianti uniuerſus aſſurrexit, & fortaſſe hominem præſentem aeque uneratus eſt, ac principem ſuum Auguſtum. Veruntamen, ut ad Homerum redeamus, tantum Poetam ſuſcepti operis argumentum excuſare poteſt, ſi non defendere. nam ſi dolor, quem ex orbitate patriæ capiebat Vlyſſes, cito mitigari potuiſſet, filum profecto, quod diuinus ille uates ex admirabili ſuo ingenio ducebat in tam magnam poëmatos texturam, cito reſciſſum fuiſſet. ob eamque rem dolorem eiuſmodi nulla conſolatione leniri, nullaq́; uetuſtate tolli poſſe fingit. imo & ſenſu praeſentis miſeriæ, & recordatione praeteritæ uitae magis, atque magis recrudeſcere oſtendit. Accedit etiam, quod quadrigas illas Poëticas, quas uel natura, uel cæleſtis quidam inſtinctus, uel diuini furoris afflatus ſuppeditabat, non ſic longe, lateq́; agere potuiſſet, niſi Vlyſſem uagantem, naufragioq́; iactatum, & tot inſidijs circumuentum propoſuiſſet. Itaq; locus maxime datus eſt tantis Deorum conſilijs, tantis Telemachi peregrinationibus, tantis procorum dolis, tantis ipſius Herois agitationibus. Praeterea niſi extoris ille fuiſſet, nulla ſane facultas Alcinoo ſuppetijſſet audiendi mira illa de uarijs locis, de Vrbibus, de hominibus feris, & iniuſtis, de moribus populorum, qui humani, & hoſpitales, qui contra immanes, impij, ſcelerati, impuri, & nefarij eſſent. Nec reditum illum memorabilem in patriam cecíniſſet Poëta cum tanta ſimulatione, & diſſimulatione Herois, niſi arbitratus eſſet pulcram illam tam uariarum rerum expoſitionem edocere nos

poſſe quantæ latebræ in animis hominum ſint, & quanti receſſus,& quàm multæ perfidioſa,inſidioſa,& fallacia in quorundam amicitia cotidie reperiantur. ob eamque rem Alcidamas orator apud Græcos in primis acutus,& diſertus Odyſſeam Homericam pulcerrimum humanæ uitae ſpeculum appellabat. Et,ut tandē ad nos redeam, omnino Iuli in noſtram domum eædem inuidorum faces per omnē ingrati animi uim, atque incendium exarſerunt, quae in tot praeſtantes uiros, quos ante enumeraui. Quod ſi illi æquo animo à patria abſuerunt, nihilque aliorum iniuria commoti ſunt, quanto fortius pugnare debemus contra fortunam nos in hoc quaſi certamine proſternere conantem? quippe qui religione chriſtiana imbuti ſimus, quæ conſtantiam in triſtiſſimis rebus nos retinere iubet, in florentiſſimis moderationem, ac temperantiam. Iā uero non ſatis exempli id nobis afferre poteſt, cuiuſque uirtutis excellentiam ſemper ſui inuidia laborare? quod ille ipſe Chriſtus Deus, qui mortalis eſſe uoluit, ut nos & religione ſua ornaret, & ſapientiſſimis conſilijs, ac praeceptis inſtrueret, ab ijs omni crudelitate laceratus eſt, quorum uitae, & ſaluti, & glorioſæ immortalitati praecipue conſultum uolebat. Nihil igitur perturbatiore animo eſſe nos oportet, ſi cū maiores noſtri, & nos etiam ipſi faciles, propenſiq; ſemper fuerimus ad conferenda in ciues noſtros beneficia, illos ingratos, ac illiberales experiamur. Nec uero hoc dico, ut ſtatuam uiri magnanimi eſſe beneficium ſerere, ut metere poſſit fructum, id enim fœnerari eſt, ſed ut intellegatis hominem ſapientem ſemper laetari debere collato beneficio, non ſemper autem dolere, ſi nulla referatur gratia. Deniq; uolūtatis beneficæ neminem pœniteat, etiā ſi illa in eā patriā utatur, è qua poſtea exturbetur, q̄a multo glorioſius eſt beneficum eſſe, & dici exſulem, quàm uel maleficum, uel ingratum manere domi, et ſuæ ciuitatis principem eſſe. Caput illud eſt, ut robore animi ſepti ſimus, exſiliūq; ibi eſſe putemus, ubi uirtuti non ſit locus. atq; etiam exſules illos iudicemus, à quibus conſtantia, grauitas, ſapientia,

*et animi magnitudo exſulat. Et, quod ad nos attinet, quã=
diu prauæ cupiditates animum noſtrum ab recta ratione
non detorſerint, quanquam patria Florentia carebimus,
nunquam tamen exſulabimus. quin eos uere in patria exſu
lare, uagari, errare putabimus, qui ambitioni, et furori ſuo
ſeruientes, iuſtos, beneficos, amantes patriæ ciues eiecerint.
Quinetiam omni adſeueratione affirmabimus Euripide-
um illum Polynicem locutum eſſe, ut tempus, & neceſſitas
poſtulabat. & ſi res coget, eundem ipſum deridebimus, atq;
probabimus ſapientem non paupertatem extimeſcere, quo=
niam ſi auaritiam homines in eum exercuerint, tera præ
ſto erit, quae largiſſime ſua fundit bona. De infamia eti-
am laborare non oportere, quia ſatis ei eſt conſcientia re-
ctæ uolũtatis frui, nec maleuolorum rumuſculos, & inuido-
rum uoculas aucupari. nihil præterea, quod ſeruile eſt, &
demiſſum prae ſe ferre, quia minime decet hominem tem-
perantem ita alterius fortunam adulari, aut admirari, ut
ſuae ipſius illum ſuppudeat. Nec item quicquam ad alio=
rum libidinem uel dicet, uel faciet, quoniam intellegit ſe
ducem uirtutem ſequi, non impuritatem, & flagitia alio-
rũ. Deniq; animo ſemper ſic excubabit, ut ei nihil impro=
uiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouũ,
atque ita nec amicis carebit, nec hoſpites magnopere deſide
rabit, & pecunias, ac potentiam aliorum nõ admirabitur.
Solus igitur ſapiens magnus eſt, ſolus potens, ſolus fortuna-
tus ſolus ſuus eſt, ſolus etiam peregrinator in certo conſiſtit
loco, ſolusq; exſul in patria uerſatur, & eam uel abſens
ſua uirtute illuſtrat. Ad ſummam ſapientis eſt quicquid ho
mini accidere poſſit præmeditari, ſi euenerit, ferendum eſſe
modice. ſummæ autem ſapiẽtiæ, ſingularisq; conſilij eſt pro=
uidere, nequid tale eueniat, & ingruenti calamitati occur=
rere. animi uero eximij, fortiter, ac patiẽter ferre, quicunq;
caſus inciderint, atque motum fortunæ quamuis uehemen
tem, & grauem ſua firmitate & conſtantia tanquam flu=
ctum ſaxo frãgere. Habetis ſermonem longiorẽ omni-
no, quàm ab initio ſuſpicabar, ſed certe non longiorem, q̃*

neceſſe erat, gaudeóque magnopere in tanta rerum copia, nihil ferè ex ore mihi excidiſſe, quod extra cauſſam dictũ uideri poſſit, id'que ſentio, cum animum ad ea refero, quae oratione ſum mea complexus. Quanquam autem intellego nunc primae dũtaxat cauſſae me ſatisfeciſſe, rationesq; ferè omnes explicaſſe, quae illam ratam facere poſſent, nunquam tamen exiſtimabo me parteis obijſſe meas, niſi ſenſero uos in oratione acquieuiſſe mea. acquieuiſſe autem tum iudicabo, cum cognouero uos animum ab iſta exſilij moleſtia, et tanto patriae deſiderio penitus abduxiſſe. IVL. *O' diem nobis optatum. o' diẽ fauſtum. o' tempus magna cum tua laude, maiore cum noſtro fructu poſitum. o' conſtantiã promiſſi, et fidem miram. Quod enim nec clarorum uirorum exempla, nec diſciplina, & praecepta doctiſſimorum philoſophorum, nec longa, accuratáque lectio commentariorum, qui hac de re ſcripti ſunt, in me efficere potuerunt, id tu ſapientiſſime Patruelis hoc breuiſſimo tempore effeciſti, ut exſilij aſperitatem ſentirem mihi duram non admodum eſſe, nec tantorum incommodorum uim grauiter me premere. Sed dulcem, & optatum patriae amorem nihil refrixiſſe ſcias, quẽ tamen uelim potius exiſtimes miſerabilem, quàm ineptum. cum enim honores conſidero, quos non uulgareis omnes mihi deferunt, facile patriae memoria ſubit, in qua illi omnino illuſtriores eſſent, ſi mihi in eadem ipſa agenti deferrentur. Quod ſi mihi homini non multum ambitioſo carendum patria, & patriae honoribus in perpetuum intellegerem, dolore quidem maximo angerer, ſed propterea non quae mea ſunt, mihi adempta eſſe dicerem, ſed aliena. & ea planè, quae ſunt in fortunae temeritate, & hominum uoluntate conſtituta. Veruntamẽn neceſſariorum abſentium moeror ita me lacerat, & conficit, ut uitam uix reliquam faciat, in primisq; Iwannis Saluiati ſororis tuae filij, quem natura & cariſſimum propinquum nobis dedit, et excelſum, ac magnum formauit ad honeſtatem, ad prudentiam, ad literas, & ad omnem uirtutis laudem. Denique ille maxime aptus eſt ad ueſtigia illa perſequenda Iwanne, quibus ad*

honorem iſtum maximum contendiſti, atque etiam dignus præter cæteros mihi uidetur Laurenti, quo Conſobrino glorie're, ut uirtutum tuarum ſtudioſo, et in domeſtica gloria augenda æmulo. LAVR. *Eſt omnino, quod plurimum læter Saluiatum noſtrum nō languidiore ſtudio uerſari in retinēda dignitate familiæ noſtræ, conarique etiam, ut laudem nobiliſſimi generis ſui induſtria, et uirtute magis, atq; magis illuſtret. Quod autem, inquis, mearum illū eſſe uirtutum ſtudioſum, & cupidum, atque etiam me ipſum æmulari in domeſtica gloria amplificanda, uellē potius, id, quod arbitror illum facere, ut ueſtras utriuſque auunculi uirtutes imitando admiraretur, quæ, & maximae, & innumerabiles ſunt, quàm meas coleret, quae nunc primum ex ueſtris oriuntur, & in domeſticam gloriam amplificandam incumberet non ex mei æmulatione, ſed ex officio ſuo. Ego enim in hoc genere laudis tantum uerſor, quantum poſſum, quantū ingenio, quod ſentio quàm ſit mediocre, quantum diligentia, quantum uſu ualeo. Sed tamen maxime uellem, ut ille etiā ſermoni ſapientiſſimi huiuſce Legati interfuiſſet. nam pro incredibili quadam, & propè ſingulari, & diuina ui ſui ingenij perſpexiſſet ſe priuari maximo interdum fructu neceſſitudinis noſtræ, quod minus ſæpe ei liceat Legatum Auunculum diſputantem audire, de quo certe potiſſimum ea audiret, quae niſi de illo ipſo audiri poſſint. cuiuſmodi ſunt, quæ hodie nobis expoſuit de exſilio cōſtanter tolerando. atque eo magis ſocium huius diſputationis audiendæ illum habere uoluiſſem, quod certò ſcio, hominem diſcere non poſſe ea, quæ Legatus ſuo ſermone nobis impertiuit, neq; ex optimis Latinorum libris, quos omnes ferè legendo contriuit, neque ex Græcorum commentarijs, quos tanta cum uoluptate euoluit, quosq́; etiam nunquam de manibus ponit. Auſim dicere plus utilitatis ei allaturam fuiſſe hodiernam diſputationem, quàm hoc in genere complurium ſuorum doctorum præceptionem, aut diuturnam lectionem omnium librorum, qui in aliquo angulo Bybliothecæ ſuae inſtructiſſimæ adſeruantur.* LEG. *Dul-*

ciſſima, ut auctor eſt Xenophon, ea tantum laus eſt, quæ ab liberrimis hominibus proficiſcitur. Equidem alienum inſtitutis meis non putaui, ſtudijs ueſtris obſequi uoluntatiq; reſpondere, nec ullam à uobis exſpectabã laudẽ, ſed quando illa me ornare uoluiſtis, negare non poſſum, quin illa & iucundiſſima, et dulciſſima mihi fuerit, præſertim cũ uterq; ueſtrum ſpecimen ſit humanitatis, ſalis, ſuauitatis, leporis, & ingenuae liberæq; naturae. etiam ſi ſentiam me adhuc nihil dixiſſe recõditum, nihil exſpectatione ueſtra dignum, nihil aut inauditum uobis, aut cuiquam nouum. IVL.

Intellego quò conſilium ſpectat tuum. cupis alteram, et tertiam cauſſam, quam propoſuiſti, cur exſilium malum ſit, probare falſam eſſe, & nobis ab omni dolore aberrationem quærere, etiam ſi ille maximus ſit, & æternus.

LEG. *Niſi hanc etiam partem abſoluerem Iuli, uiderer mihi haud ſecus agere, atque ineptus aliquis pictor, qui politiſſima arte dimidiam tabulæ partem perfeciſſet, reliquam inchoatam omitteret, uel quod artem non teneret totius picturæ abſoluendæ, uel quod ſuſcepti operis pœniteret. Sed iam, ſi cõmodum eſt, conſurgamus, & Peripateticorum more inambulando diſſeramus, ita tamen, ut ante tria faciamus ſpatia interquieſcendi, & animi relaxandi gratia. ex motu enim quies etiam commode parari poteſt ijs, qui ſedendo in longam incubuerint diſputationem.*

IVL. *Mi frater, mi frater, Non'ne ſatis tibi erat ſedẽdo cauſſã propemodũ obtinuiſſe? ut nemo uerius id prouerbiũ uſurpare uideri poſſit, q̃ tu, Romanus ſedendo uincit. nunc autem inambulare decreuiſti. Quam ob rem proſpicio te omnem controuerſiam dirempturum, quandoquidem & acrius inſtabis, & ſubtilius diſſeres, id, quod Peripateticorum fuit, & Peripateticorum principis Ariſtotelis, quem uideo te doctrina, & moribus imitari, totumq; exprimere.*

LEG. *Impudenter certe mihi uidear facere, ſi negem me multum ſtudij, ac diligentiae poſuiſſe in percipienda illius diſciplina. quanquam Pater exemplo Aui potiſſimum ſui totus à Platone, & à uetere Academeia ſtabat.*

Propterea

propterea ſtudioſe elaborauit, ut adoleſcẽs illius præceptis formaret, omnique doctrina erudiret. Ego autem Ariſtotelis ſcripta, & mox reliquorum Peripateticorum commentarios accurate cognoui, ratus, id, quod ſine controuerſia uerum eſt, alterius diſciplinæ auctorem ſine altero uix conſiſtere, & percipi poſſe, atque adeò ſua laude carere. non aliter, quàm ſi patrem nouerimus, qui frequenti hominum ſermone celebretur præclaram edidiſſe ſobolem, atque illum quidẽ non ſatis noſſe arbitramur, niſi filios etiam notos habeamus, qui ſuæ uirtutis excellentia ſe ab ornatiſſimo parente ſuſceptos teſtentur. Vtriuſque autem diſciplinæ uſus nobis nunc maxime conſtabit, quoniam uideo multa eſſe tractanda de honoribus affectandis, aut reijciẽdis, quæ omnia petere neceſſe habemus à præclariſſimis illorũ ſcriptis. etiam ſi ſtatutum habeã præcepta eorum ipſorum eatenus ſequi, quoad uideam conſentanea eſſe cum moribus præſentibus, & genere uitæ, quo nunc utimur. IVL.

Eodem ſanè modo harum diſciplinarum uſus nunc tibi conſtabit, quo ſuperioribus menſibus conſtitiſſe animaduerti, cum de immortalitate animorum, atque etiam de Principis Dei ui, ac numine te diſputantem in Xyſto audiebamus. tum enim omnes, qui aderamus, in diſputatiõe tua acquieuimus. & quemadmodum nos ipſi te nunc audientes magna ex parte leuati ſumus moleſtia iſtius exſilij, ita tum omnino liberati ſumus magna ſuſpicione, quam controuerſiæ propoſitæ à quibuſdam nouis Philoſophis de immortalitate animorum, & de poteſtate Dei, attulerãt. Omnẽ igitur operam, & ſtudium ad te audiendum conferimus, & maiorem aliquam leuationem ægritudinis animorũ noſtrorum à te exſpectamus, quæ magna, & graui fortunæ iniuria commota eſt. LEG. *Afferebant ſapientes iſti duas alias cauſſas, ut probe meminiſtis, quam ob rem exſilium maximum malum ducendum eſſet, quod ablegati honoribus patriæ carerent, & neceſſariorum præſidio nudati eſſent. Expẽdamus igitur quantum à tera ualeat, & quantum certa, uerãq; ſit. Principio neutrũ ueſtrum*

ignorare arbitror, ita naturam rerum tuliſſe aliquando,
ut homines, genus animalium unum ex omnibus compos
rationis,& ad ſapiētiam,ac ui tutem natum,uagantes per
agros nulla certa ſede fruerentur,tantumq; haberēt,quan
tum audacia,et corporis uirib. per cædem, ac uulnera aut
rapere,aut tueri poſſent. Qui igitur primi conſilio,ac iu-
dicio excelluerunt,ij comperta humani ingenij ui, quæ doci
litatis,& uirtutis capax eſſet,& laudis cupiditate inflam-
maretur,diſſipatos in ſocietatem uitæ conuocarunt, eosque
ex tetra illa immanitate,& horrida, incultáque uita ad
humanitatem,manſuetudinem, & iuſtitiam traduxerunt.
Dein domeſticas commoda illis ipſis pepererunt.nam res cō
ſtituere,quæ ad communem utilitatem referrentur, easque
publicas appellari ſanxerunt. Mox cum uiderent diſper-
ſam illam utilitatis rationem tanquam mēbra diuulſa,nec
pulcritudinem,nec dignitatem habere,illos in cœtum quē-
dam congregarunt,ciuitatem'que appellarunt. Poſtremo il
liberale arbitrati ſunt, ut quæ animalia omnium rerum
excellentia reliquis præſtarent,illa ipſa digna domicilia nō
haberent ſuo imperio, ſuaque uirtute. Itaq; eoſdem ipſos
homines proximis domicilijs iunxerunt,quibus planè Vr
bium nomina impoſuerunt,& deinceps coniugijs, litera-
rum,uocumq; communione conciliarent. Non ſine autem di
uino aliquo numine ingenerauit natura hominum generi
quandam honoris cupiditatem, eamque etiam auxit certo
quodam ſtudio laudis ex actionibus, quam Gloriam uoca
mus. ita enim circūſcripte illam quoq; complecti poſſumus,
quoniā M.Tullius uim illius aliter expreſſit. Gloria,in-
quit,eſt illuſtris, ac puagata magnorum uel in ſuos ciueis,
uel in patriā,uel in omne genus hominum fama meritorū.
qua q̄dē in re partim cum Ariſtotele facere, partim ab eo
diſſentire uidetur,qui cenſuit eum frui gloria,qui ueris lau
dib. magno aſſenſu omnium ornatur ob uirtutis opinionem,
aut id habere putatur,quod omnes,uel plures, uel probi,
uel prudentes expetunt. Et quanquam tali honoris cupi
ditate omnes ipſa natura flagrare uoluit, tamen quoſdam

uideas igniculos illius ita retinere, ut lumen clariſſimum ex omnibus uirtutibus emittant, quoſdam ita ſtatim extinguere, ut ſolo nomine, & corporis figura homines habendi ſint, moribus pecudes. Etenim prudentiæ, ac uirtutis expertes in tempeſtuis conuiuijs, in alea, in feſtis diebus ludorũ celebrandis omne tempus conſumentes ad paſtum ſemper ſeſe abijciunt, in infimumq́; deturbantur, ut eſt apud Platonem, & rurſus uſque ad medium rapiuntur, & circa hæc ſanè loca uagam, inconſtantemq́; agunt uitã. Quin etiam hæc nunquam tranſgreſſi ad id, quod re uera ſummum eſt, ſemper caligant, & nunquam ſeſe tollunt, neque ullius ueræ rei participes euadunt, neque guſtum percipiunt ullius ſtabilis, ingenuæq́; uoluptatis. ſed in morem pecudum deorſum proni ſunt, oculoſq́; tum in terram, tum in menſas habent, quæ conquiſitiſſimis epulis exſtruantur. Præterea in luxuriam, & libidinem toti effuſi dũntaxat paſtui, & ueneri indulgent, & de tam turpi uoluptatum genere inter ſe calcitrantes, et mordẽtes ferreis cornibus, et armis ſeſe proſternunt. Contra illi prudentia ornati, celeritateq́; mentis uigentes, ut ſoli erecti ex omnibus animalibus ſunt, & habitum corporis habilem, & aptum ingenio humano habẽt, ita intellegunt ſeipſos excitari oportere ad cœli quaſi cognationis, domicilijq́; priſtini conſpectum, illudq́; ſemper ſuſpiciunt. conſulunt item bonis, præſentes fructus negligunt, poſter tati, & gloriæ inſeruiunt, non abdomini, & prauis cupiditatibus. cogitant denique uirorum beneficorum, ac temperantiũ, magnorumq́; hominum corpus eſſe mortale, animi uero motus, & uirtutis gloriã ſempiternam. Quamob rem honeſta omnia diligunt, fidelia, inquam, ſimplicia, conſtantia, & uana, falſaq́; deteſtantur, ut fraudes, periuria, malitias, iniurias. Quinetiam in ſe quiddam habent non uoluptarium, & ferinum, ut alij. ſed amplum, & magnificum, & ad imperandum magis, q̃ ad parendum accommodatum. atq; etiam ducunt humana omnia leuia, nedum tolerabilia. nihil timent, nemini cedũt, ſemper inuicti ſunt, cogitantq́; exiguum uitæ curriculum

ſibi à natura circunſcriptum, immenſum gloriæ. Videte quantum interſit inter ſtudia, & mores horũ, & illorum. eadem eſt natura, quae eadem etiam praeſidia utriſq; comparat, ſed tamen alijs ea ornamento ſunt, alijs turpitudini, & dedecori. Ex hoc igitur genere natus ciuis in libera ciuitate nobis conſiderandus uidetur, utra ratio uitae illi inſtituenda, ea'ne, quæ in ſplendore honorũ poſita ſit, an quæ in domeſtica tranquillitatis laude uerſetur. Ciuem autem illum intellego, qui in certa urbe uiuat. nec intereſt quicq̃ illa germana patria ſit, nec'ne, quãdoquidem duae poſſunt eſſe patriae, una naturae, altera ciuitatis. ut M. Tullius Cicero qui cum Arpini ortus eſſet, mox in Pop. Ro. ciuitatem adſcitus eſt. atque ita habuit alteram loci patriam, alteram iuris. quamuis Ariſtoteles negaret M. Tullium ciuem Romanum eſſe, quippe qui ſtatuat homines ciuitate donatos, proprie ciues appellandos non eſſe, quoniam exiſtimat neminem propterea ciuem habendum eſſe, quod certo in loco commoretur, præſertim cum inquilini, & mancipia certo in loco degant, et nobiſcum habitent, nullo tamen modo ciues ſint. Nec item ciues iudicat, qui ius à magiſtratibus ita petunt, ut tam ipſi in iudicium uocari poſſint, quàm alios uocare. cuiuſmodi ſtipendiarij, & uectigales ſunt, qui ius petunt ab ea Vrbe, quæ caput imperij eſt, nec eos, qui ita imbecilla ætate ſunt, ut remp. tueri, & adminiſtrare non queant. quales pueri. nec ſenes, quoniã illi magna ex parte cum affecta ætate ſint, infirma quoque ualetudine eſſe ſolent. attamen quodam modo ciues habẽdos eſſe putat. Enimuero tantus Philoſophus ciuem ita ſpectat, ut ſimpliciter ciuis eſt, nec culpæ ullius quaſi reus habetur, quam purgare neceſſe habeat. Itaq; nulla re ciuem magis deſcribit, quàm facultate iuris dicundi, et poteſtatis exercendæ. Sed tamen nos de hac Ariſtotelis ſubtilitate ſoliciti non erimus. imò patriam M. Tullio non minus reddemus Arpinum, ubi natus eſt, quàm Romã, in quam receptus eſt. et eo quidem magis quod hæc hominem ſempiterna laude affecit, & maximis honorib. auxit, ipſa autem ab eo, quamuis ci-

ue adſcititio,ſeruata eſt.ac propterea nō minus illi ipſi hæc patria dulcis fuit,quæ excepit,et exceptum carißimum ha buit,quàm illa,quæ hominem genuit,qui tum priuatis officijs,& ingenij laude florentißimus,tum fructu amplitudinis,& reip.dignitate clarißimus futurus erat. Multa etiã diuinitus idem ipſe Philoſophus de hac honorum cupiditate præcipit. Neminem enim magnanimum eſſe poſſe affirmat,niſi ſit & magnis rebus dignus,& ſe ipſum maximus quoque dignum cenſeat.maximas autem res eſſe, quæ Dis ipſis tribuantur. Tales uideri honores,propterea quod il li maximi ſunt bonorum externorum. Quinetiam illum optimum oportere eſſe ait,cum maximis ſit dignus,& melior maiora ſemper poſtulat,& optimus maxima. Medio critatem quoq; laudat inter ambitionem,& ambitionis uacuitatem,quia ambitioſus plus,q̃ oporteat,& unde non oporteat honorem appetit, non ambitioſus, qui ne ob res quidem honeſtas honoribus affici uult. Ergo cenſet homini ingenuo, liberaliterq; educato nō ex unaquaq; re honores ſitiendos eſſe, nec contra reſpuendos, ſi honeſtas ob res illi deferantur. At q noſtris temporib. cæco mentis impetu ad honores rapiuntur, hæc non diſcernentes inuadunt honores quoquo modo illi tribui poſſint. quo fit, ut arbitremur priuatam uitam longe anteponendam eſſe ei,quæ adhunc plane modum honorata ſit. Enimuero qui otium, ac quietem ſequitur,is primum uidet alios nulla ſui inuidia flagrare,quod quidem facile accideret,ſi ille præſtanti, florentiq; fortuna uteretur.Videt etiam ſe nullis in periculis uerſari,ſi facultates ſuae à patriæ honoribus ſeiunctæ ſint.nec ægre ad labores,curasq; moleſtias ſuſcipiendas,ut dignitatem ſuam tueatur. Nullas item domeſticas pertimeſcit inſidias, nec de uita ſua laborat,quod intellegit illam grauioribus fortunæ telis expoſitam eſſe.nam copia,rerũq; abundantia facile neceſſarios, ac familiares inuitant ad furta,ad dolos,ad cædem,præſertim ſi tenuiores ſint. Fortuna autem in nullum genus hominum ſæpius,& atrocius graſſatur,q̃ in eos,quibus omnia ſecunda euenerint. Ro-

mani Cæſares quicunq; uiolenta morte perierunt, omnes fere à ſuis obtruncati ſunt familiaribus, Iulius Cæſar, Caligula, Domitianus, Cōmodus, Alexāder Seuerus. Ex Græcis uel Regibus, uel Tyrannis inſignes commemorantur Philippus Macedoniæ Rex, Filij Piſiſtrati, qui Athenas domina tu deuinxerat ſua, Periāder Ambraciæ Tyrannus, Archelaus, & Amyntæ iunior Macedoniæ Reges, Eunuchus Cypri etiam Rex, & plerią; alij, quos enumerare neceſſe non eſt. Quin etiam paucos abhinc annos quot meminiſtis honeſtiſſimi ordinis ſacerdotes aut ueneno ſublatos? aut crudeli morte necatos à familiaribus, & beneuolentia coniunctis? quos tamen illi ante & ſacerdotijs honeſtarant, & omnibus ſtudijs, & beneficijs ornatiſſimos habuerant. Videtis etiam quot ueterum Romanorum ex ſumma amplitudine deturbati ſint in infimam, miſeramq; uitæ conditionem. Marius, Pompeius, M. Antonius. M. & Q. Cicerōes. Equidem neminem fere illorum temporum ciuem Romanum comperio, qui mortem obierit ſua uirtute, & auctoritate dignam. de ijs loquor, qui paulo clariores fuerint, quią; immodicos honores appetierint, & quorum uita ambitionis labore diſtricta fuerit. ſic enim rerū gerendarum cupiditate efferebantur, ut domeſtico otio nunquam proſpicere poſſent. Quinetiam nullū uitæ ſuæ tempus uacare permittebant à cogitatione augendarum opum, retinendi dominatus, & maieſtatis oſtentandæ. At Pomponius Atticus uir cum omnibus rebus excellens, tum Ciceroni, & amicitia, & omni uoluntate, ſententiaq; coniunctus, ſolus mihi eiuſmodi uidetur, ut proponi poſſit omnibus noſtris tanquā exemplum ad uitam omni è parte laudabiliter agendam. Hic enim otium id amplexus eſt, quod à dignitate non abhorruit, in literis, in libris, in amicis iuuandis, in conſilijs dandis. Itaq; ambitio, ardenſq; honorum ſtudium illos in maximas calamitates coniecit, hunc uero honeſtum otium ad ueram laudem duxit, & ad id, quod datum fuit uitae tranquille, placideq; agendum præparauit. Solus etiam in portu fuit, cum æquales eius propemodum omnes grauiſ-

ſimus

ſimis tempeſtatibus iactarentur, ſolus ex optimis diſciplinis, eximiaque honeſtarum artium ſcientia fructus percepit maximos, ſenſitq; ſecundas res ſuas literis ornari, aduerſas autem maxime adiuuari. Solus deniq; turbulentiſſima illa tempora Sullæ, Cæſaris, Antonij, & Auguſti euaſit, quandoquidem illi certò ſciebāt elegantia hominis, et probitate nihil eſſe Romæ præclarius, eiuſq; uitam cōſecutum eſſe difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate, diuitiarum cum temperantia, auctoritatis cum beneficentia. Quæ quidem uirtutes eo etiam admirabiliores mihi in homine uidentur, quod maiore indulgētia diuitis patris, & forſitan rerum humanarum neglegentis educatus eſt, q̄ ea tempora ferebant. Ambitio enim ſæpenumero ex turbidis morum fontibus, qui apud parentes ſunt, à filijs imbibitur. id, quod Plato etiam ſcriptum reliquit, ut cum patrē habent ignauum, & ſocordem, qui Vrbem habitat non prudenter adminiſtratam, quiq; honores, magiſtratus, prouincias, & iuris dicundi decus repudiat, & iacere cupit, ut ab omni moleſtia uacuus ſit. idq; ita contingere ſolet. Primum quotieſcunq; audiunt matrem ægre ferētem, quod uir ſuus nulla publica munera ſuſtineat. ac propterea inter mulieres admodum tenues honores ſibi deferri uideat. Dein cum animaduertit illum ipſum nō attentiorem ad rem eſſe, neq; pro ea obſcure, aut palàm contendere, aut in foro uolitare, ſed neglegentius in his omnibus uerſari. atq; etiam cum cognoſcit hominem ſemper de ſe ipſo curā agere, uxorem autem neq; contemptui habere, neq; plurimum colere. quapropter accidit, inquit Plato, ut ualde commoueatur, perturbatioq; animo ſit, & apud filium de patris ignauia, & inertia queratur, multaq; alia commemoret quae mulierculæ de iſtiuſmodi rebus garrire ſolent.

Priuatam etiam uitam agentes quæ cupiunt facile aſſecuntur, ſi honeſti ſint, ſtudentque aſſequi ea, quorum plane fructus illis diuturni ſunt, alijs ſuaues, et iucundi. Accedit etiam, quod ad defendendam dignitatem ſuam nihil neceſſe habent arma quærere, & amicorum fidem expe=

riri, præſertim ſi paulo ſeuerius ius dicant, quandoquidem compertum habent ſuæ uitæ præſidia non conſiſtere in ſatellitibus, in ſicarijs, in parricidis, et armatis hominibus, quibus ſtipentur, nec in multitudine copiarum, ſed in uirtute, & innocentia, qua tecti pericula propulſent, & inuadentes inimicos defendant. At honoribus fungentes ſimultates cum optimis ciuibus aliquando ſuſcipiunt, eorumq́; odio etiam flagrant, quos nunquam experti ſunt maleficos. infidos quoque eos habent, quibus cum multis officijs, & magno familiaritatis uſu iuncti erant. At quibus ſui corporis cuſtodiam committunt? Certe ijs, qui uenalem ſanguinem habent, quiq́; aliàs ſibi uiſi non ſunt. mox illos etiam perinde reformidãt, ut eos, quos certo ſciunt famam ſuam oppugnare, uitaeq́; inſidiari. Animus quidem priuati hominis talibus ſuſpicionibus liber eſt. imò ſi quos inimicos illi fors dederit, eos reconciliare ſibi ſtudet, quoniam incolumis ſua dignitate id ſe facere credit. Magiſtratus enim, alteriusúe honoris ſplendor non impedit, quo minus ad ueterem amicum adeat, ſe purget, et ad priſtinam illius gratiam receptum habeat. idq́; fretus conſcientia officij, & conſtantis uoluntatis erga hominem. exiſtimat etiam ſtipatores illos mercenarios tanquam opifices aliquos, aut tabernarios, aut alios de fece ciuitatis homines, in quibus fides nulla ſit, cum omnes lucri ſpe ad opus excitentur, non honeſta ratione. Stipatores item pecuniæ gratia ciuem magiſtratum gerentem cuſtodiunt, & pecuniæ gratia quoq; interficiunt, quoniam pecunias multo plures licet illis accipere, ſi ciuem talem trucidarint, quàm ſi ſemper illum protexerint. Verumtamen non deſunt qui uitam magiſtratus potius laudẽt, quàm priuati, quod nullo negotio amicorum gratiam promereri poſſit, inimicorum autem iniurias facile ulciſci. Sed multum iſti à uera ratione aberrant. nam qui publicam perſonam ſuſtinet, ſi beneficio amicum ſibi deuincire uoluerit, is de grato animo illius periculum facere cogitur, quẽ rarò in hominibus perſpicimus, q̧ noſtra ætate uiuunt. Sed fac illum gratum eſſe erga eum, à quo multa acceperit beneficia,

ficia, certe cogitat quanto pluribus cōmodis auctus eſt, tanto maturius ſibi profugiendum eſſe, ne magiſtratus aliorum rogatu cogatur eum ſpoliare commodis, quibus illum tam affecerit. Itaq; ſolum uertit, & fuga ſibi conſulit, putatq; cōmoda, quibus auctus eſt, tum ſua eſſe, cum exploratum habuerit eò non poſſe peruenire, qui ſe illorū participem reddiderit. De inimicis autem ægre ſupplicium ſumere poteſt, quia ciuis publico honore præditus, ut Demoſthenes ait, tanquam bonus paterfamilias eſſe debet, qui in ſeruos, & alios domus ſuæ miniſtros ideo animaduertit, ut meliores illos reddat, non ut opprimat, & interficiat. exēplo peritorum Medicorum, qui ad mēbra uitiata ita ignem admouent, ut ualetudinem confirment, et reliqui corporis pulcritudinem, ac decus integrum conſeruent, nó ut mutilum, & mancum relinquant. nam Princeps ſæpenumero id ſpectat, quod placet, magiſtratus autem id quod æquum, honeſtumq; eſt, ut eximius orator Iſocrates refert, cuius quidem optimis præceptis, & ſumma eloquentia adductus ſæpius laudare ſoleo, q̄ forſitan neceſſe ſit. Accedit etiā, quod ijdem inimici plerūq; uel opibus, uel cognatione, uel generis claritate, uel doctrina, & eloquentia honeſtiſſimum in ciuitate locum obtinent. ac propterea in illos non facile odij, & acerbitatis uirus euomi poteſt. ita fit, ut inuiti cogamur eoſdem ipſos tolerare. atq; id propémodum nobis euenit, quod contingere ſolet magnis Regibus, qui generoſos, & præferoces equos aluerint. his enim quanquam uti non poſſunt propter ferocitatem, aſperioremq; naturā, tamen illos non occidunt, aut propter alacres ſpiritus, & præſtantem corporis uigorem, aut quod ſperant eos ipſos in dies mitiores futuros. Poëta Catullus Dictatorem Cæſarem, eundemq; orbis terræ Principem probroſo carminum genere infamarat, quam iniuriam ille grauius ulciſci noluit, ueritus ne in aliorum Poëtarum maledicentiam incurreret. itaq; homini ignouit, et in priſtinam gratiam recepit. M. etiā Tullio, qui commentarium cōfecerat laudum Catonis, idem ipſe Cæſar alio commentario reſpōdit, quo uitia Catonis colligebat, illumq; im-

merito laudari probabat, nec præterea quicquam tentauit, quamuis capitali odio diſſenſiſſet ab Laudato, et ab Laudatore. Patrē imitatus eſt Auguſtus Cæſar. T. enim Liuium tulit, qui bellum ciuile Cæſaris, & Pompeij ſcribens exqui ſito genere laudum efferebat Pompeium. ſatis autem habebat illum appellare Pompeianum. Eadē facilitate, uel potius diſſimulatione uſus eſt in Aſinium Pollionem, qui Scipionem, Afranium, Brutum, & Caſſium libris editis commendarat. Nō ſatis autem conſtitutum habeo an hic idem fuerit Aſinius Pollio, qui in domum receperat Timagenem Hiſtoricum, poſt, quàm Auguſtus illi ſuam interdixerat, quod uxoris, filiarum, & ſuam ipſius exiſtimationem offenderat. Itaque idem ipſe Princeps ita commotus eſt in Pollionem, ut tantummodo ei dixerit, fruĕre mi Pollio fruĕre, cum ille ſui conſilij rationem afferret, & polliceretur ſe hominem excluſurū ſi iuſſiſſet. Hæc tanta ſanè mala prouiderunt ſapientiſſimi illi Greciæ Philoſophi, & tanquam è ſpecula futuram tempeſtatem proſpexerunt. Pythagora, inquam, Democritus, Anaxagora. ob eamque rem ab regendis ciuitatibus totos ſeſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt, & magno, erectoque animo uiuentes beatiſſimi fuerunt, & uirtutis decus in otio colentes omneis motus fortunæ, mutationesq; rerum, & temporum leueis, ac imbeciles eſſe cognouerunt. ijdem etiam à publicis negotijs uacui ſolitariam ferè duxerunt uitam. quæ quidem propter ipſius ſcientiæ ſuauitatem, qua nihil eſt hominibus iucundius, plureis fortaſſe delectauit, quàm rebus publicis expediret. Poteſtatis enim, ſapientiæque coniunctionem Platonicus ille Socrates ſaluti ciuitatibus eſſe cenſet. imò nullum malorum finem fore, nullamque à perturbationibus quietem dari poſſe affirmat, niſi reip. adminiſtratio penès eum ſit, qui omne ſuum ſtudium, ac diligentiam in doctrinam, & ſapientiam contulerit. Quinetiam fundamenta ſuæ reip. has duas uirtutes eſſe ait, nec unquam illam remp. quam oratione deſcribebat orituram, aut Solem aſpecturam eſſe adſerit, niſi eum publici conſilij auctorem,

& regendæ ciuitatis ducem ſortiatur, qui cum uirtute for
tunam coniunctam habeat. Ante M. Tullium quidem, præ
ter Demetrium Phalereum, cuius mentionem ſupra feci,
nemo alius facile reperiri poterat, qui utraque re excel
leret, ut & doctrinæ ſtudijs, & regenda ciuitate prin-
ceps eſſet. Hic enim mirabiliter doctrinam ex umbracu
lis eruditorum, ac otio non modo in Solem, atque puluē=
rem, ſed in ipſum etiam diſcrimen, aciem'que pene` pro-
duxit. At noſter Cicero illo ſuperior eſt in omni genere
præclariſſimarū artium, & temperantia, uitaéq; continen
tia, cum ille ipſe male audiat a` Græcis ſuis, quod poſt
Himeræum fratrem ab Antipatro occiſum in omne ge-
nus intemperantiæ, & libidinis eruperit. uterque ta-
men ſummos honores a` patria ſua conſecutus eſt. Q.
enim Catulus princeps Senatus, & auctor publici conſi-
lij M. Tullium parentem patriae nominauit, atque eidem
ipſi Senatus non, ut multis bene geſtæ, ſed ut nemini, con
ſeruatæ reip. ſingulari genere ſupplicationis Deorum im-
mortalium templa patefecit. Demetrium ciuitas Athenien
ſium principem ſuum declarauit eique trecentas decre-
uit ſtatuas. Noſtris tamen temporibus tales moderatores,
& rerum publicarum temperatores nullos fere` comperi-
as, quia, niſi fallor, quæ nunc reſpublicæ dicuntur uete-
ribus rebuspu. diſſimiles ſunt, aut certe multum diſtant
ab rep. ea, quam Plato diuinitus conſtituebat. Siquidem
aut ex certo hominum genere conſtant, qui tametſi omnis
uirtutis expertes ſunt, ad munera tamen reip. admittuntur,
ne locus pateat externis hominibus ad inuolandum in id,
quod certorum hominum eſſe uolunt. aut ex colluuione ho
minum unius ciuitatis conſtituuntur, ita tamen, ut ad illu-
ſtriores magiſtratus nemo eligatur, niſi qui ex ordine Patri
tio ſit, aut a` ueteri familia originem trahat. Supereſt Ro-
ma, quam ueræ reip. domicilium eſſe iudicarem, niſi ex uni
uerſo terrarum orbe & homines excellenti ingenio prædi=
ti, omnibus'q; uirtutibus ornatiſſimi, et monſtra etiam quæ=
dam immaniſſima, ac fœdiſſima ad eam confluerent, ubi

nullo diſcrimine omnes ad ſummos honores efferuntur, & ampliſſimis ornamentis afficiuntur. Di facerent, ut in ea perſæpe exſiſterent ſapientes homines, qui remedium aliquod tantæ calamitati afferrent. quod quidem facillimum eſſet. hoc eſt, ut probos, integrosq; homines à monſtris ſecerneret. atque etiam exemplo Athenienſis Solonis decerneret nouam hanc Sacerdotum remp. contineri duabus tantummodo rebus, praemio, & pœna. Quod ſi munus hoc impetrari poſſet, maxime uellem, ut magnanimus aliquis Heros interdum ad nos accederet, qui monſtra iſta conficeret, & tolleret, ut ferunt Herculem olim ueniſſe, qui Auentinum Cacũ oppreſſerit. Age uero diſpiciamus an princeps etiam in ciuitate locus ad honoratam uitam nos inuitare debeat. Equidem nonnullos animaduerto honores ſitire, propterea quod uident omnes dicto ſuo audire, omnes ſibi de uia decedere, omnes aſſurgere, multis etiam admirationi ſe eſſe. & eo quidem magis, quod homo cum alijs plurimis uirtutibus cæteris præſtat animalibus, tum hoc etiam, quod honoris cupiditatem inſitam habeat, & illius tuendi ſtudium. Iam uero illud quantum eſt, quod non ſolum Beſtiæ omnes expertes ſunt talis cupiditatis, ſed plerięq; etiam homines. imò ſiquis eſt inter illos, qui honoris ſtudio inflãmetur, ille inter homines, quaſi Deus habendus uidetur, cũ præſertim neminem comperias, qui honorem expetat, niſi idem etiam honeſtatis maximam agat curam. Prætereà diuinum quiddam prorſus iſtis uidetur lætitia, quam honos ipſe nobis parere ſolet. Talis certe, inquiunt, erat Lætitia, quam capiebant ueteres illi Romani ex uictorijs ſuis Africani, Marij, Sullæ, tot Cæſares. Enimuero iſti nullũ uerũ ſenſum honorũ habent. non enim inductio animi erga eiuſmodi ciuem poteſtate præditum illos cogit, ut his fungantur officijs, obtemperãdi, prætereuntem honeſtandi, aſſurgendi, ſed potius metus hæc ſtudia illis extorquet. At q̃ deteſtabile, & inuidioſum eſt metui, & in odio eſſe. & eo quidem magis, quod is cogitur multos quoq; timere. id, q̃d etiã ſenſit Cæſar Dictator in Theatro ſibi obijci Laberiano uerſiculo.

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Memoria quæſo repetite, quàm miſerabiles habuerint exitus Heroes illi, quos in fabulis Tragici Poëtæ induxerint dicenteis. oderint, dum metuāt. malus enim cuſtos diuturnitatis metus. aut certe id obſequium exprimit reſpectus, quem ad honorem habemus, non ad hominem honore, & magiſtratu ſurgentem. Tale obſequium exegit in caſtris Q. Fabius maximus CONS. à patre Legato ad ſe uenienti. nā cū obuiā filius progrederetur, lictoresq́; uerecūdia maieſtatis eius taciti anteirent, praeter undecim faſceis equo præuectus ſenex, ut CONS. animaduertere proximū lictorem iuſſit, & ut is deſcenderet ex equo inclamauit, tum demum deſiliens experiri, inquit, uolui fili, ſatin' ſcires te conſulem eſſe? In agro Bononienſi ſceleratæ conſenſionis fide inſignis eſt inſula, quam Lauinus fluuius facit. in eam enim conuenerunt Antonius, Lepidus, Auguſtus, ſocietateq́; inita nobiliſſimum quēq; Senatorem proſcripſerūt. At quotieſcunq; congreſſi ſunt, Auguſtus adoleſcentulus ſemꝑ medius ſedit, quod ille Proprætore, alij priuati eſſent, quāquā ſenes, et cōſulares. Nec uero diffiteor honoris cupiditatē uni homini ingenitam eſſe à natura, ſed ea cupiditas honoris magis ex alijs rebus oriri debet, q̄ ex magiſtratibus, ut ex literarum cognitione, ex ſapientiæ opinione, ex beneficentiæ & liberalitatis laude. Qui enim ex hiſce rebus honos proficiſcitur, uerus eſt honos, & eo nihil praeſtantius nobis poteſt accidere, nihilq; etiam optabilius nobis eſſe debet ad immortalitatem gloriæ, & memoriam nominis ſempiternam. Multi quoq; homines huius cupiditatis expertes ſunt, quod pauci etiam habeantur, qui uerum iter gloriæ intellegant, quique literarum dignitatem perſpiciant, & uirtutis pulcritudinem, ac ſplendorem admirentur. Nec ſanè meo quidem iudicio ulla præclarior honeſtatis ratio eſt, q̄ ea, quæ à tranquillitate uitae proficiſcitur, & ab animo perturbationibus uacuo emanat. Lætitia autem breuis eſt, quam afferre ſolēt honores iſti cū uictorijs coniuncti, quoniam magna ex parte eam conſequitur ignominioſa e pa-

tria exactio, aut orbitas filiorum, aut publicatio bonorum, aut mors. Documenta *autem uarietatis temporũ, & fortunæ uiciſſitudinis hoc in genere capi poſſunt à uiris illuſtribus, quos propoſuimus. omnes enim poſt clariſſimas uictorias tam aduerſa fortuna laborarunt ut ſuam. quiſque conditionem miſerrimam putarit.* Hoc *qdem ipſum* Socrates *planius expreſſit* Alcibiadi *apud* Platonem. Cõplures, *inquit, nominare poſſumus, qui cum dominationem affectaſſent, & illius occupandæ ſummo ſtudio flagraſſent tanquã rei alicuius commodæ, ad extremum propter eandẽ ipſam dominationem inſidijs petiti interierunt.* Quin*etiam ſuſpicor te nonnulla inaudiſſe, quæ heri, & ſuperioribus diebus euenerint.* Archelaum *enim* Macedoniæ Tyrannum *oblectamenta, & delitias* Tyrannidos *amantem, quidam non minore deſiderio captus eiuſmodi delitiarum interfecit ſperans ſe* Tyrannum *futurum, & perpetuo felicem, ſed triduum, aut quatriduum dominatus ipſe quoque inſidijs circumuentus obijt.* Viden *etiam? (ut referam non quæ fama percepimus, ſed quæ ipſi uidimus) ex noſtris ciuibus quicunque imperia affectantes exercitibus præfuerint, alios à patria adhuc etiam extores uagari, alios capitali ſupplicio affectos eſſe.* Quod *ſiqui ſint, qui in ſummis periculis, et communi trepidatione præclare remp. geſſiſſe uideantur, non ſolum foris, ſed etiam domi ab improbis ciuibus, non minore fraudum genere circumuenti ſunt, quàm ab hoſtibus. ita ut exiſtimem nonnullos optaſſe potius priuatos uiuere, quàm cum imperio unquam fuiſſe.* Hanc *certe ſententiam princeps hic* Philoſophorum *mutuatus uidetur ab* Euripide, *cuius ſingulos uerſus ſingula teſtimonia forſitan putabat.* Siquidem *apud illum perſpicere licet,* Regem Agamemnonem *ſeruo cuidam ſeni literas dantem ad* Clytemneſtram *uxorem de filiæ nuptijs. tum eum quamuis deſpicatæ fortunæ eſſet, laudantem, & beatum eſſe affirmantem, quod inglorius atque ignobilis ad ſupremum uitae diem peruẽturus eſſet.* Contra *uero laetitia illa, quæ à uirtutis, & ingenuarum artium fontibus ducitur, in tempeſtate ge*

ta eſt, lucet in tenebris, pulſa loco manet, atque hæret ſemp in animo, ſplendet per ſeſe, neque alienis unquam ſordibus obſoleſcit. Remotus à ſtudijs ambitioſis Iſocrates Atheniensis otium, & tranquillitatem uitae ſecutus eſt, docendo, monendo, ſcribendo. ac propterea unus fuit, qui tum æqualibus omnib. oratoribus, tum multis etiam illuſtribus ciuibus gratia, & auctoritate longe præſtiterit. etiam ſi illi ad rēp. moderandam omnem uſum, & ſcientiam, & ſtudium ſuum contuliſſent, aut magnam potentiam, & gloriam maximis in remp. meritis, præſtantiſſimisq; rebus geſtis eſſent conſecuti. Quinetiam ſiquando illi ad populum uerba facienda erant, nemo maiore libertate cauſſam dixit, nemo maiore orationis ſplendore animos auditorum præſtrinxit, nemo maiore animo Athenienſium morum peruerſitatem inſectatus eſt. nemo item attentius, ac benignius auditus eſt. quanquam ſumma ſenectute eſſet, & lingua hæſitaret. Ecquos quæſo hoſtes, nedū ciues amantiſſimos ſui homines hæc uerba non commouiſſent? quæ protulit poſt, q̃ res multas commemorauit imprudenter ab Athenienſibus adminiſtratas. Demiror, inqt, tum ſenes, tum adoleſcentes, quod alteri non meminerint, alteri nō audierint è ratione pacis probatæ, nullum unquam incōmodum nos accepiſſe, ex armis autem leuiſſima quaque cauſſa ſuſceptis in pleraſq; calamitates, & eas quidem magnas incidiſſe, quas repetere nihil ad praeſentem cauſam pertinet. imò parati expeditiq; ſumus ad ea obeunda, quæ nullam acceſſionem allatura ſunt rebus noſtris, ut ad triremes inſtruendas, ad conferendas pecunias, ad auxilia mittenda, ad arma inferēda ijs, quos tulerit ſors. perinde, ac in aliena patria periculis offeramur. Et harum quidem omnium rerum cauſſa eſt, quod ueſtræ partes eſſent Athenienſes ita de rep. ſolicitos eſſe, ut de priuata. quod tamen contra fit. quin cum de priuatis negotijs deliberatis, conſiliarios ſpectatioris prudentiæ, quàm ueſtra ſit, exquiritis. at cum ad audiendas orationes, quæ de rep. habentur, cōcurritis, eiuſmodi hominibus fidem abrogatis, & inuidiæ morſus defigitis. Cō-

tra nequiſſimum quẽq;, & turpiſſimum, qui ſuggeſtum aſcẽderit, ad cælum effertis. atque etiam exiſtimatis temulentos homines magis populares eſſe, quàm ſiccos, & ſobrios. & dementes magis, quàm ſapientes, & publicam pecuniam dilapidantes, ærarium'que exhaurientes, magis, quàm ex ſuo cenſu publica obeuntes munera. Itaq; operæpretium eſt mirari eum, qui ſperat ciuitatem noſtram talibus conſilijs uſam in meliore ſtatu unquam futurã. Et hæc quidem Iſocrates ad Populum Athenienſem, cum ſuaderet ei, ut amicitiam renouaret, fœdus'q; percuteret cum omnibus Græcis, imperium'que Inſularum relinqueret, Vrbium autem quæ mediterraneæ eſſent, retineret. Ad Philippũ etiam Macedoniæ Regem libertati Græcorum inſidiantem orationem ſcripſit, qua hominem hortatur, ut in pacificationem Græcorum ſe interponat, & iunctis armis moueat contra Perſas. in ea quoque multa de importunitate Athenienſium exponit, quæ tamen à ciuibus ſuis libenter legebantur, cum ſcirent ea dici à tanto oratore, non ut in dignitatem patriae illuderet, ſed ut ciues publici conſilij principes ſuae nequitiae et impuritatis admoneret. Recentiore quidem memoria Iãcobus Sadoletus noſter non minus laudis aſſecutus mihi uidetur oratione ſcripta ad Ludouicum Galliæ Regem de bello tranſmarino ſuſcipiẽdo, quàm Iſocrates hac ſua ad Philippum. cum enim alteram cum altera confero, & lecta uerba, ſententias tum graueis, tum crebras utriuſq;, & numerorum ſplendorem, uerborum'q; elegantiam, & totius orationis lenitatem uideo, non nihil animi pendeo utram magis laudem tanta ſimilitudo diuini illius ingenij in Sadoleto eſt. qui tamen ſi non alijs uirtutibus, ſaltem induſtria illo ſuperior mihi uidetur, quod ijs quidem temporibus natus ſit, quibus cogimur omnes latinam linguam emendicatre ex libris, cum tamen Iſocrates græcam didicerit à Populo, qui, ut Plato ſcribit, linguæ eſt magiſter. Minus quidẽ hominem laudo, quàm oporteat, quoniam uideo eundem ipſum multis alijs ornamentis eſſe praeditum, quae illum in infinitam ſeculorum poſteritatem illu=

tem illuſtrare poſſint, ſapientiæ, grauitatis, ingenij, benigni
tatis, et liberalitatis. Solus autem noſtrorũ temporum, aut
certe cum paucis animaduertit elocutionem emẽdatam, &
latinam eſſe quaſi fundamentum oratoris, ad eamq; obti=
nendam neceſſe eſſe latinam linguã expurgare, quam in=
quinarunt nonnulli exquiſitarũ literarum omnino rudes,
& nullius iudicij homines, qui partim ex circumpadanis
Municipijs, partim ex tranſalpinis Prouincijs in hanc Vr=
bem confluxerant. Emendauit igitur eruditiſſimus hic Vir
corruptam, & uitioſam latinæ linguæ cõſuetudinem pura,
ac integra loquendi ratione. quam etiã cum præclare ob=
tineret, eam magna cum dignitate, et Italorum laude mox
ad religionis decus, & immortalem nominis ſui celebri=
tatem uſurpauit. Redundabat Plato Athenis omnibus or
namentis uirtutis, atq; etiam omnibus præſidijs domeſticis ſe
ptus erat, affinium, copiarum, nobilitatis. ſed tamen ab rep.
abſtinuit, et in portum confugit otij moderati, atq; honeſti.
Cauſſam autem conſilij ſui interprete M. Tullio hanc didi=
cimus fuiſſe, quod offendiſſet Populum Athenienſem propè
iam deſipientem ſenectute, eumque nec perſuadendo, nec
cogendo regi poſſe uidiſſet, cum perſuaderi poſſe diffideret,
cogi fas eſſe non arbitraretur. Quã ob rem Plato à ne=
gotijs publicis tanquam ab opere aut tẽporibus excluſus,
aut uoluntate feriatus maiori ciuibus ſuis honori, et amicis
utilitati, & reip. ornamento fuit, quàm ſummi illi duo ora=
tores Demoſthenes, & Aeſchines tantis actionibus, tantis cõ
ſilijs, tantis contentionibus, quæ patriam, & uniuerſam tan
dem Græciã in ſeruitutem redegerunt. Di feciſſent, ut M.
Tullius poſt interfectum Cæſarẽ finem reperiſſet ſuæ am
bitionis, & modum ſtatuiſſet infinitæ honorum cupidita-
tis, nec opprimendi Antonij cauſſa, Auguſtum importunio-
rem ſuſcepiſſet ornandum, & ad tantos honores efferen-
dum, certe imperium illud totius orbis non corruiſſet. imò
uero Senatus dignitas, & Populi Romani maieſtas adhuc
etiam clariſſima uigeret, nec uideremus maximam Italiæ
partem prouinciam Barbarorum eſſe factam. ſed patriæ

atritas, filij amor, & neceſſariorum beneuolẽtia, & reip. recuperandæ ſpes ſummum illum Virum decepit. nam uitæ priuatæ commoda aſpexit eadem acie mentis, qua rerum omniũ uim, & naturam uiderat. Quis enim, inqt, ad Varronem ſcribens, hoc non dederit nobis, ut cum opera noſtra patria ſiue non poſſit uti, ſiue nolit, ad eam uitam reuertamur, quam multi docti homines, fortaſſe non recte, ſed tamen multi, etiã reip. præponendam putarunt? Quæ igitur ſtudia magnorum hominum ſententia uacationem habent, eandem publici muneris, ijs concedente rep. cur non abutamur? Principatu quidem Cæſaris ille gerẽdis negotijs orbatus maxime ſolitudinem amauit. itaq; ſuas uillulas obibat, quos ocellos Italiæ appellabat; congreſſum amicorum omnium declinabat, Muſis tantum & ſibi uiuebat. Deniq; id ipſum homini accidit, quod præſtantiſſimus quiſq; orator optare debet, ut tum deſineret, cum maxime deſideraretur, et tum multam ſalutem foro diceret, cum forenſibus negotijs implicitus eſſet, & urbano opere maxime diſtineretur. Audite qd mœſtiſſimus Pa. r poſt amiſſam filiam Attico reſcribat, à quo certior factus erat, quoſdam eſſe Romæ, qui diſceſſum eius ab Vrbe non ſatis æquo animo interpretarentur, ac propterea ſe uereri, ne grauitas, et auctoritas illius imminueretur. Quod me ad conſuetudinẽ, inquit, reuocas, fuit meum quidem iampridem remp. regere. quod faciebã, ſed intererat enim ubi acquieſcerem. nũc plane nec ego uictum, nec uitam illam colere poſſum, nec in ea re, quid alijs uideatur, mihi puto curandum. mea mihi conſcientia pluris eſt, quàm hominum ſermo. Et alibi. Nunc, inquit, omnia reſpuo, nec quicquam habeo tolerabilius, quàm ſolitudinem. Item alio loco. Mihi, inquit, ſolitudo, & receſſus prouincia eſt. Rurſum nihil hac, inqt. ſolitudine iucundius, in qua careo omnium colloquio, cumq; mane in ſiluam me obſtruſi denſam, & aſperam non exeo inde ante ueſperũ. Sed utinam, id, qđ ingemiſcens repetã, poſt rẽp. dominatu Cæſaris liberatam, ab reip. muneribus quieſcere noluiſſet, & celebritatem hominum, frequentiãq;

ciuium

ciuium euitans circa uillulas ſuas erraſſet, Roma profectò non ſolum caput religionis, ſed etiã imperij totius terarũ orbis adhuc eſſet, nec Italiæ Populi uectigales, & ſtipendiarij exterarum nationum eſſent, nec tot bella cotidie exorerentur de ijs Italiæ urbibus, quæ in S.P.Q.R. poteſtatem aliquando eſſent redactæ. Sit iam huius loci finis, et eò, unde egreſſa eſt, ſe referat oratio. nec interim faciam, ut enumerem miſerias omnes, quibus Itali conflictari cœpimus, poſt, q̃ nonnulli Italiæ Principes, & populi ob dominandi cupiditatem omnes teras mouerunt Reges Barbaros incitarunt, Gentes feras armatas in Italiã adduxerunt. nã ſic meum exagitarem mœrorem, & uos in eundem planè luctum uocarẽ. Omnino qui horũ malorum cauſſam ſuſtinent, maximas iã pœnas perſoluerũt temeritatis ſuæ. Reliquum eſt, ut uideamus, q̃ priuatus domeſticis etiã inſtitutis recte, liberaliterq́; uiuat. Ac primũ qdem imaginem priuati hominis proponamus, quoniã ad hũc maxime modum perſpiciemus officia uitæ illi & pfectiora & liberiora conſtare, q̃ ei, q honore, aut imperio, aut populari gloria decorari ſoleat. Enimuero priuatus ſi ab literis non abhorreat, ante lucem ſurgit ſomno ſolutus, quo per noctem breui admodũ uſus eſt, nihilq; iam uiribus ſuis fretus, imò impendentes calamitates cogitans à Deo precatur fauſtum, felicẽq; diem. Cælum etiam, & præclarum illum Diuorũ conuentum ſuſpicit, quorũ alij acceptam à Chriſto religionem innocentia, uitæ ſanctimonia, et ſanguine ſuo tutati ſunt, alij orbem luſtrando, et monendo, et diſputando illius dignitatem amplificarunt. Mox in Bybliothecam pgit, atq; in lectione acqeſcit eorum librorum, ex qbus animi uoluptas capitur, & documenta ad bene, beateq́; uiuendum petuntur. in illis etiam multum ſine interpellatore uerſatur. Dein ualetudinis cauſſa egreditur, et ſimul cõmodis ſuis, et eorum, q ex ſe pendent, conſulit. nam aut inambulat, aut rationem tuẽdæ rei familiaris miniſtris præſcribit. Quod ſi per urbem uagari uoluerit, nimirum libere uagabitur, atq; res aſpectu dignas ubicunq; illæ fuerint, uiſet, & ſermonibus doctorum, pru-

dentumq́; hominum intererit, & ludos etiam relaxandi animi cauſa ſpectabit. Domũ inde repetit, et uel pridiano ieiunio compulſus, uel ſola uictus tẽpantia coactus, accumbit. menſa paucis, iiſdemq́; ſimplicibus cibis paratur, illisq́; ueſcitur, ut uires reficiantur, non ut opprimantur, et ut potius ſuum naturæ quaſi tributum pendat, q̃ ut tetram aliquam popinam inhalet, & animi ſenſus offundat. Accumbit etiam uxor, & liberi ſi forte contigerit, ut à re uxoria non abhorruerit, aut ſi cælebs fuerit, ex familiaribus aliquis ſimilitudine ſtudiorum coniunctus, qui cum dulciſſimo ſermone tempus illud tranſigat. animi autem lenitate qcqd uernæ appoſuerint, pretioſum facit, etiam ſi uile fuerit, nullasq́; lautiores epulas, aut opiparas deſiderat, cum natura ad ueſcendum trahatur, nõ ſuauibus condimentis, aut aliis delicatioris gulæ obſoniis. Nec uero cum ſurrexit, ſolicitus eſt de morbis, qui humana corpora arripere ſolent cum nimio cibo, aut potu repleta ſunt, ſed ſuæ tẽpantiæ conſcius, nullã ingruentium morborũ uim extimeſcit. Itaq; amicis ſe reddit, eosq; ad ſe uenientes, ſi afflicti ſunt, patrocinio ſuo iuuat, aut iucundiſſimo ſermone delectat, aut recitandis ſuis ſcriptis iudicium illorum exqrit. Poſtremo occidente iam ſole cogitat aliqd de uita quoq; ſua diminutũ, uehementerq́; gaudet diem ſibi præclare actum ſine fraude, ſine flagitio, ſine impoſtura, & iterum ad ſtudia literarũ ſe refert, & aliqd uel legit, uel ſecum commentatur, uel ſuas cogitatiões literis mandat. Deniq; ex ſupiore diſcubitu aut ſe iam cœnaſſe ſentit, aut ita cœnat, ut id deteſtetur, qđ in Italicis olĩ menſis ac Syracuſanis Plato etiã abhominatur, bis in die ſaturũ fieri. atq; omnibus demum curis ſolutus cubitum it nõ modo immortalẽ capiens fructũ ex tam laudabili uitæ inſtituto, ſed firma ẽt ualetudine uigẽs. Cõtra q magiſtratus pſonã, et publicum honorẽ tuetur, q̃q̃ omnibus copiis abundat, tñ honeſto otio priuatur. Videas illũ initio, nocte intẽpeſta ſurgere excitatum uel anxiis curis, uel ĩportunis uocib. familiariũ, uel nocturnis uiſis. ille aũt lectus aureus eſt ſtratus pulcerrimus textili ſtragulo, magnificis opibus pictus. Mox

omni

*omni mente in ea cogitatione, curáq; ue uerſatur, qua libidi-
nem ſuam expleat, rapinam exerceat, contumeliam infe-
rat. itaque modo ira ardet, modo deſiderio flagrat, modo
deſperatione commouetur. Interea completur domus ſatelli
tibus, apparitorib. ſicarijs, rabulis, & ciuibus litigantibus,
iudicijs'que turpibus ſeſe conflictantib. quorum alij homi-
nem ſalutant, alij ius petunt, alij munera largiuntur, alij
cædem ciuis pollicentur. Deducitur autem ad Prætorium
ab hoc genere hominum, qui ex colluuione omnium uitio-
rum conſtant, ſedet'que excelſo in ſuggeſtu, ubi dum cogno
ſcit, aut conſultat, nullum locum prætermittit uel ueris fal
ſa permiſcendi, uel iuſtam cauſſam innocentis interturban
di, uel nocentis iniuſtam fouēdi. Domum reducitur, & cum
ueſcendi fuerit tempus, ornantur abaci complures argento,
auróque cælato. accumbit ille. ineunt epulas quoque parici
dæ, & domeſtici latrocinij adiutores. moloſſi circunſtant,
quos plurimos etiã alunt maiore impẽſa, q̃ homines. adula
torum, ſannionũ, ſcurrarũ magnus adeſt numerus. fercula
inferuntur, & menſæ conquiſitis epulis exſtruuntur, lanci-
busq;, & ſplendidiſſimis caniſtris, & prægrandibus ſcy-
phis res agitur. uina pretioſiſſima tum Italica, tum prouin-
cialia miniſtrant eximia forma pueri ad nutum illius in-
tuentis. Nec uero ipſe tanto rerum apparatu fruitur. imò
pridiana crapula adhuc tumens, & antemeridianis nego-
tijs confuſus neſcit quò ſe uertat, quid'ue agat, & dum ſin
gula deguſtare cupit, de uniuerſis nauſeæ moleſtiam ſuſci-
pit. Iam finis epularum eſt, cum ſcurræ ineptis iocis illum,
& conuiuas ad riſum excitant, & uel geſtus, motus, uerba
amiciſſimi alicuius hominis ementiuntur, uel principem ci
uitatis maledictis inſectantur, uel bonorum ciuium dignita
tem aſperiorib. facetijs impure præſtringunt, uel in ſoda-
lem probra iaciunt. Secundũ hæc colluſores aſſident, &
uel fritillus, uel tali, uel teſſeræ afferuntur, quibus magna
pecuniarum uis ſorti exponitur, & integri cenſus uno in-
terdum iactu amittuntur. Longum eſſet referre contume-
lias, probra, exſecrationes, quæ id temporis audiuntur. con-*

ſiluator autem, idem'que publicam ciuitatis perſonam ſuſtinens præeſt colluſoribus iſtis, & omnes ad ſcurrilem dicacitatem prouocat. hi uiciſſim hominis hilaritatem & riſum captantes certatim omnes, dicta ſalſa, & iocos in hunc, & illum iactant. Denique è menſa ſurgit uentre diſtento, & corpore ita fœde ſaginato, nullumq; genus incommodi eſt, quod non extimeſcat, peſtiferos'que etiam omnes morbos ſibi fore ſuſpicatur, à quibus tentari facile poſſit, & periculi imprudens uel iraſcitur familiaribus leuiſſima quaque de cauſſa, uel in cubiculum ſe recipit, ſomnòque indulget, & in meridiationem totus effunditur. Tum exſuſcitatus frequentia hominum adeuntium iam incipit de integro cogitare, qua ratione famam, fortunas, familiam, liberos, corpus denique ipſum ciuium ſuorum affligat, & ſanguinem exhauriat. Itaque domo exit comites habens non liberaliter eruditos homines, ſed omnibus uitijs contaminatos, atque flagitijs inquinatos, & planè eiuſmodi, quorum opera afflictos opprimat, & in uiolando iure inexplicabiles fraudes concipiat. properat autem ad tribunal ſuum. et ſedens neglegentiam matutinam in circumueniendis litigantib. pomeridiana diligentia compenſat. alios igitur uideas repelli à ſe, ut nimis intempeſtiue accedentes, alijs diem diffindi, alios comperendinari, alios amplius pronuntiari, alios iniqua ſententia effligi. Inclinante iam die cogitur domeſtici latrocinij finem facere, domumque reuertitur, ubi præſtò ſunt profligatiſſimæ uitæ homines, qui ei rationem explicent rerum, quas per diem adminiſtrarint. paratos'que ſe inſuper oſtendunt ad ea conficienda, quæ poſtridie etiam libidinem hominis explere poſſint. At ille qui maleficio, & ſcelere paſcitur, quique ciuium ſanguinem iam exſorbere cœpit, tetra, ac deteſtabilia mandat. nam eos uexandós iubet, quos pridie, aut eo die intactos reliquerat. Poſtero igitur die alij quæſtioni ſubijciuntur, nonnulli exquiſito tormentorum genere diſcruciantur, multi ad ſupplicium rapiuntur. Inter tot facinorum cogitationes deuorandi tempus incidit. cœna paratur. qui in famulatu ſunt omnes uideas per au-

lam

lam diſcurſare. mox accenſis funalibus inferri fercula longa pompa. diceres aliquem apparatiſſimo funere efferri. imò exequias uiui hominis, non mortui celebrari. accumbit ille tanta cupiditate, ut deuorare omnia uideatur, cum tamen matutini cibi ingluuiem uenter uix capiat. Verum ille naturæ quaſi uim infert, & incoctas epulas nouo cibo aggrauat. atque ita nocturnæ agitationi fomitem parat, & alteris epulis aditum obſtruit. nec toto cœnæ tempore deſiderantur mimi, & ſcurræ. quin adſunt frequentes, & geſtibus, ac iocis nullum tempus uacuum præterire ſinunt. Poſtremo ſurgit plenus mero, plenus epulis, plenus torpore, & quietem ſe conſecuturum ſperans iacet, atque ſomnũ aucupatur, quem tamen illi uel libido eripit, uel curæ leuiter obrepere faciunt. nam quaſi imaginem diurnorum ſcelerum homini repræſentant, in qua expreſſa ſint teſtamenta ſubiecta, adoleſcentuli circunſcripti, conſtupratæ uirgines, multi tenues, ac egentes afflicti, plures uicini eiecti, innocentes plerique uexati, nocentes miſerabiliter excarnificati. In ſomnum tandem aliquando delabitur, q etiam ſæpe numero interrumpitur, cum memoria ſubit tantorum flagitiorum, quæ illum etiã ad eiulatum, & gemitum inſtigare ſolent. Tales ſunt magna ex parte, q noſtris temporibus publica negotia procurant, et honoribus patriæ funguntur. quo quidem genere hominum, ut probauimus, nihil impurius, nihil flagitioſius eſſe poteſt. Et certe ſi hominem deterrimum Poëta præſtanti aliquis ingenio fictus, conquiſitis'que uitijs deformatum uellet inducere, nullus generis homines aptius inducere poſſet, quàm uel Principes, uel ciues ſummis honoribus fungentes, quandò nullum dedecus reperiri poteſt, quod in iſtis publica munera ſuſtinentibus ineſſe non ſoleat, & fortaſſe multa in illis penitus defixa, atq; hærētia præteriret. Videtis igitur, ut honoratam uitam agentes ſæpenumero pleni ſint uini, ſtupri, ſomni, pleni que inconſideratiſſimæ, ac dementiſſimæ temeritatis. nec hi adoleſcentes ſunt, qui per ætatem liberiores eſſe conſueuerunt, ſed ſenes, qui maxime poteſtatem habent, & quo-

rum cupiditates iam deferbuiſſe oporteret. Et iã quis tam nullum uſum rerum habet, q audeat eiuſmodi uitam probare? in qua curſus eſſe non poteſt, niſi cum caſu, & prolapſione, & in qua uirtus ſopita conniuet blandimentis auræ popularis. Quam ob rem æterna in laude uerſabere Laurenti, quod à pueritia id planè cauiſti, in quod multi aduleſcẽtes, & ſumma ſenectute homines offendunt, & incurrunt. nam eiuſmodi genus uitæ tibi degendum conſtituiſti, quod ſemper adamare mihi es uiſus, quod'que etiam cognouiſti mihi gratum eſſe, alienum ab ambitione, alienum ab opibus, alienum à fama ſtultorum, improborum'que. conſenſu excitata. Quin etiam ſemper id egiſti, ut qualis haberi uelles, talis eſſes. quam uiam ad gloriã proximam, & quaſi compendiariam Socrates eſſe dicebat. Itaque in omnibus uitæ officijs non modo ſpecimen ingenuæ, erectæ, liberalis'que naturæ in te eſſe demonſtras, ſed etiam ſpem ampliſſimæ dignitatis affers, & plurima naſcentis uirtutis indicia cotidie das. magnopereque lætor Petri fratris noſtri ornamenta in te propemodum renata eſſe, quæ omnino ſua laude caruerunt, quod nondum uiceſimum primum compleuerat annum, cum Patrem amiſimus, qui ſua diligentia illa apud omnes illuſtriora facturus erat. & deinceps ea ſanè tempora conſecuta ſunt, quibus nec ſapientia hominum, nec induſtria multum ualeret, cum Italia tota armis exterarum nationum oppreſſa eſſet. Quid? quod uideo ardentiore etiam ſtudio te iam hanc perſequi, quo magis intellegis hoſtes plerunque dominari ædibus, diuitijs, & agris, & omnibus denique copijs noſtris, cum tamen gratiæ dignitatis, & bonorum erga nos beneuolentiæ nunquam dominari poſſint. imò nullos alios rerũ harum poſſumus relinquere hæredes, niſi quos ipſi procreauerimus, aut quos natura propinquitate nobis coniunxerit.

LAVR. *Enimuero te dicentem de inſtitutis priuati, & honorati hominis attentius audiebam, quandoquidem utriuſque uitæ imaginem oratione tua ita mire nobis exprimebas, ut crederem me non in Bybliotheca domeſtica eſſe,*

uerum

uerum in Pergula nobiliſſimi alicuius Pictoris, ubi tabellas duas ſpectarem,in quarum altera expictus eſſet homo, qui doctus à puero inſtitutis, & artibus ingenuis eruditus eſſet,quique magiſtratibus inhonoratam uitam ageret, cum tamen omni frueretur honore,quē afferre ſolent exiſtimatio uirtutis,& mores ſuauiſſimi,& bonorum gratia. in altera ille,qui primum omnibus adoleſcētiæ ſordibus uolutatus,mox patriæ honoribus uteretur,eſſetq; impius,demens,& Dis,hominibusq; infeſtus uiueret. Ac mea quidem ſententia fallitur,qui exiſtimat motus,opera,caſus, & argutias uultus humani ita oratione non poſſe repræſentari,ut pictura redduntur. Quid multa? auſim affirmare perfectum oratorem, ſi quiſquam modo perfectus ſit orator,ita facile poſſe nitorem,lætitiam,lumina,& umbras rebus dare, quas oratione exponendas ſuſcipit , ut pictorem ſuis coloribus ; & pigmentis facere uidemus. nam uterque artem & ſimilitudinem dirigit ad naturam , & naturæ opera. Neque uero minus nos tenent quæ mente,& cogitatione comprehenduntur, quàm quæ oculis ſpectantur. imò animus ingenioſiſſimi cuiuſque maiorem capit uoluptatem ex orationis elegantia,quàm ex blandiore aſpectu lineamentorum,& pigmentorum . quæ quidem lenocinium commendationis ita habent,ut delectent,non ut iuuent. Sed hoc nimirum Iuli tu melius ſtatues, quippe qui Patrui tui conſilio,& diligentia perinde educatus es , ut mos patrius ferebat, & grauiſſimi Philoſophi præcipiebant. IVL.

Prorſus Laurenti. nullum enim genus antiquarum literarum omiſi,quod non attingerem,quia ſuſpicabar præcipua uitæ ornamenta eſſe literas. incenſusque etiam ſum maximo ſtudio perdiſcendi Muſicam , & Picturam,quoniam hæc ad perfectiorem corporum notitiam adiumentum affert maximum,illa,quod faciat,nos otium honeſte,& cum magna animi uoluptate tenere, ſi modo illud complecti uelimus. In exercitatione autem rerū,quæ ad bellicam laudem,& ad militarem gloriam pertinent, non ita aſſidue ſum uerſatus,ut optabam,quod uerebar,ne periculum ui-

*tæ adirẽ propter ſummam corporis gracilitatem, & infir
mitatem. quo quidem periculo paucos admodum liberatos
uidebam ex æqualibus meis, qui ſimili habitu, & figura
formati eſſent, præſertim ſi acceſſiſſet labor, & lacertorũ
contentio. Neq; uero tantum mihi ſumo, & arrogo, ut aude
am ex picturæ profectu diiudicare artificum opera, ob
quam utilitatem illam expetiẽt oportere ait Ariſtoteles. id
enim hominis eſt, qui eiuſmodi arti totum ſe dediderit, ue-
rum id facere poſſum, ut huius artis opera cum alterius
artis operibus conferam, quod etiam tu Laurenti fecisti mei
imitatione, & uter ſcientius naturam rerum ante oculos
ponat, diiudicare. Itaque non dubito, quin mediocris ora-
tor, nedum hic noſter ſummus, poſſit uerbis aptis, lectis, &
illuſtribus idem efficere, quod inſignis pictor præſtare ſolet
ſuis pigmentis candoris, & ruboris, & aliis cuiuſq; generis
coloribus ſcite omnino adhibitis, et eleganter. Atq; ut ali-
quãdo erũpat uox digna ingenuitate mea, tu certe mi fra-
ter in tantis tenebris erroris, & inſcitiæ clariſſimũ lumen
prætuliſti menti meæ. Siquidem putabam ante fortunatos
eos, quorum uita honorum ſplendore illuſtraretur. atque
etiam demirabar iudicium eorum, qui honeſtum otium à
negotiis publicis ſeiungerent, & quaſi diſcerperent, cum al
tera uitæ degendæ ratio cum altera commode iungi poſ-
ſet, quamuis coniũctio illa, & ſocietas difficilis eſſet. Verũ-
tamen iudicabam hoc diſtingui hominem gnauum, & indu
ſtrium ab homine ſocorde, & inerti, quod ille facile præ-
ſtaret ea, ad quæ hic ne aſpirare quidem poſſet. Nunc ue
ro diſputatione tua eruditus intellego iſtas honorum acceſ-
ſiones eſſe quaſdam exaggerationes miſeriarum uitæ, &
blandiſſimas planè uoluptates animum ab rectis officiis
detorquentes. Sed perfacile tibi fuit me in ſententiam tuam
adducere, quod uix quartumdecimum ingreſſus eram an-
num, cum patria exceſſi, ac propterea illecebris urbano-
rum honorum irretiri non potui, alios autem honores con-
tempſi, & præſertim, quos cum cæteri principes, & Italiæ
Populi, tum Pontifices ipſi Romani multos mihi detulerunt.*

ſed ut libere tecum agam, nonnihil me commouit ſuperioribus diebus lectio commentarioli, quo Plutarchus Chæronenſis quærit, an recte dictum ſit λάθε βιώσας *hoc eſt uiuus fefellit, ut Flaccus interpretatur. Etenim poſt longam diſceptationem ſtatuit uocem iſtam explodi oportere cũ auctore ſuo, quicunq; ille fuerit. atq; hanc quidem elucubratiunculã Plutarchus intorſiſſe mihi uidetur cum in alios, tũ in Apollonium præcipue Tyanenſem æqualem ſuum hominem diuiniſſimum, & qui magis è cælo delapſus mihi uidetur, quàm in terra editus, ſi tot admirabilium operum auctor fuit, quot à Philoſtrato, & ab Hierocle cũ Euſebeii tamen indignatione referuntur. Ille igitur frequẽter in ore habuit uocem hãc. In uita obſcurus eſto. quod ſi non queas, incompertum ſit, te mortuum eſſe. Me autem quãquam honores non admodum ſitientem, nec falſam gloriam auide appetentem, huius tamen præſtantiſſimi Philoſophi auctoritas magnopere commouit. dicerem etiam de ſententia deduxit, niſi propoſitum mihi eſſet omni in genere iudicium tuum magis ſequi, quàm cuiuſque Philoſophi auctoritatem.*

LEG. *Hodie ſi ita uobis eſt commodum, finem faciamus & inambulandi, & diſputandi. nam aliquid tribuendum eſt ualetudini. in craſtinum autem differam meam de Plutarcho ſententiam, ſimulq; ſcrupulum, quem nunc Iuli perdifficilem inieciſti, eximam, quoniam magis animo uacabo, & nihil habebo, quod huic ſermoni præuertendum putem.* IVL. *Age uero, ut placet. ſed conſtitue quò loci nobis ueniendum ſit. Bybliotheca enim non ſatis uidetur idonea ad longiorem audientiam, tum quod amici domum uenientes nos fallent hoc præſertim tempore, quo domus celebratur ita, ut cum maxime, tum etiam quod nimis obſtructa ſit auris ſpirãtibus. cras igitur in Ortis tibi dicenti operam dabimus.* LEG. *Sanè ita mihi uidetur. modo inter nos conſtet me non Epicureum fore, etiam ſi in Ortis diſputaturus ſim.*

PETRI·ALCYONII·MEDICES·LEGATVS·POSTERIOR·DE·EXSILIO·AD·EVNDEM·NICOLAVM·SCHONBERGVM·PONTIFICEM·CAMPANVM·

XSILIVM·QVIDEM·NIcolaë ſi ipſum pro ſe loquatur, nec tum pertinacium Sophiſtarum habeat patrocinium, cōceſſurum arbitror ſe conuictum rationib: quas priore libro attulimus. Neque uero conſiliū fuit cauſſam noſtrā probare exemplo Athenienſium, qui Teſtularū ſuffragijs cogebant ad Decem annos ciues eos abeſſe à patria, qui aut opibus, aut cliētelis, aut populari gratia alijs præſtarent. nam id genus exſilij communiſci uiſi ſunt ad æquabile ciuitatis ius tuendam & auctoritatem frangēdam ciuium potentiorum, ne patriam aliquando tyrannide ſua deuincirent. quanquam illa paulo poſt concidit hoc præcipue malo dum ſeditioſos homines reip. præficerent, et optime meritos ciues cogerent patrijs ſedib. Disq; Penatib. relictis inopem, & uagam uitam perſequi. Supereſt nunc, ut quaſi perfecto operi faſtigium imponamus, hoc eſt, ut ad extremum quaſi in conſpectu ponamus quæ idonei auctores de uita honorata, & glorioſa tractarint. qua in re nō omnes conſentire uideo. Siquidem certa erant ueterum memoria quæ de expetendis honorib. dici ſolerent, & ſeperatim Scholæ habebantur de hoc argumento, ut de Exſilio, de interitu patriæ, de ſeruitute, de debilitate, de cæcitate, & de omni caſu, cui nomen imponi ſoleret calamitatis. Quin etiam Ariſtoteles Philoſophus tum rerum abditarum, & ob=

ſcurarum, ut græce dicam, ἀπιθανολογικώτατος, tum ſic multiplici laudum genere excellens, ut ex eo omnis uirtutis ſpecimen capi poſſit, cum ad uſum popularem, & ciuilem de rep. diſſereret, hac quoq; in re animi pendet, nihilq; ex ueterũ ſententia decernit. id, quod certe in explanatione eiuſmodi rerum facere nõ conſueuit. atq; etiam nihil ferè ipſe excogitat, quod ad labefactanda illorum ſcita ptineat, ſed immoderatis illorum ſententijs modum præſcribit, & laudabile quoddam temperamentum obſtinatiori tantorũ Philoſophorum uolũtati, & in contendendo obfirmatiori adhibet. Nam cum eſſent, qui ciuiles honores ideo contemni oportere dicerent, quod exiſtimarẽt ingenui hominis uitam, eandemq; in primis expetibilem, diuerſam eſſe à ciuili, cumq; haberentur etiam qui optimam hanc eſſe putarent, quoniam fieri non poteſt, ut otioſus recte agat, eademq; ſit recta actio, & felicitas, cenſet ſapientiſſimus Philoſophus utroſq; partim uera ſentire, partim falſa. Etenim uerum eſſe inquit liberi hominis uitam potiorem eſſe uita heri, & domini, quandoqdem ſeruo, qua ſeruus eſt, nihil graue, nihil magnificum conſtare poteſt. domini etiam poteſtas, & de reb. neceſſarijs mandata nullam habent communionem cum rebus honeſtis, et liberalib. Sed falſum quoq; eſſe oſtendit oẽm poteſtatem eſſe dominationem, cum præſertim nihil minus differat liberorum poteſtas à ſeruorum poteſtate, q̃ per naturã ingenuus, et liber à mancipio, & per naturam ſeruo. Denique honeſtum eſſe ſtatuit, illum ſequi, & colere, qui uirtute præditus ſit, & facultate rerum optimarum agendarum excellat. atque etiam iuſtum, eidem ipſi parere, ac obtemperare. Sed Ariſtoteles forſitan ſua reſpexit tempora. quib. homines uirtutis ſtudio ita dediti erant, ut illa ad bonorum ſalutem tuẽdam uterentur non ad prauorum commoda augenda abuterentur. id, quod noſtra memoria ab omnib. propémodum fieri uidemus. Facultatem enim quorus quiſque habet, qua ſit πρακτικὸς, ut Græci dicunt: cũ tamen illam cum uirtute neceſſario coniunctam eſſe debere ſcribit Ariſtoteles in ciue, qui temperator ciuitatis ſit, et ſum-

mæ reip.

mæ reip. præponatur. Quid multa? ille ipſe temperator animo magno, elatóque res humanas deſpiciat neceſſe eſt, quandoquidem fe.icitatis compos nunquam eſſe poterit, niſi ſemper, aut maxime ea agat, & contempletur, quæ ab exquiſita honeſti, & uirtutis ratione proficiſcantur. Fortunam etiam utcunque cum eo agentem moderate feret, & omni ex parte æquabiliter, quippe qui uere bonus, & conſtans ſit. atque etiam ut quadrantalia occurret. id, quod ab Ariſtotele primum quoq; dictum eſt. hæc enim in teram ſi decumbant, ſemper celſa, ſemper erecta, ſemper ſtantia uiſuntur, quoniam in æquabilem partium menſionem diffunduntur, Nec uero pro domeſticis commodis, ſed pro dignitate, communiq; felicitate, negotium publicum gerere, & quaſi excubare debet, quod etiam Scipionem apud M. Tullium ſenſiſſe accepimus, cum de optimo ſtatu ciuitatis, & de optimo ciue diſſereret. Vt enim, inquit, Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori uictoria. ſic Moderatori reip. beata ciuium uita propoſita eſt, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines, atq; optimi illum eſſe effectorẽ uolo: Verum hac in quæſtione, tanq̃ in ulcere unguis, Plutarchus exſiſtit, q ambitionem, et honorũ contentionem maximis effert laudibus et hominem, ut ita dicã, quoquomodo honeſtatum anteponit priuato, & à munerib. reip. uacuo. quã qdẽ quæſtionẽ, ut tantus ſcriptor ſuſtinere poſſit huiuſce poſterioris libri diſputatione tractatur. Neq; uero illũ mouit Poëta Lucretius, q nullos inferos eſſe ſuſpicatus populares honores affectantẽ, et illorũ repulſam ferẽtem Siſyphũ eſſe canit.

Siſyphus in uita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo faſceis, ſæuasq; ſecures
Imbibit, & ſemper uictus, triſtis'que recedit.

Nam cum uideret id non clariorib. Græcorum monimentis teſtatum, & conſignatum eſſe, auctorem talis ſententiæ neque laudari, neq; laudatum confutari oportere iudicauit. atque id, quàm recte factum ſit, hoc quidem loco diſputare non attinet. Praeterea nihil mihi fraudi eſſe uelim, quod

& ſi in argumento honorate uitæ ab illo plurimum diſſen
tiam, tamen paucula quædam exempla ſumpſerim ex li=
bello, quem idem ipſe Plutarchus de Exſilio compoſuit.
Siquidem & humanitatis expers, & uitæ communis igna
rus haberi poſſem, ſi quæ cenſuiſſem perperam ab illo tra
dita non refellißem, & quæ præclare expoſita legerentur,
illuſtri gratia non excepiſſem. eoque etiam magis, quod eiuſ
modi exempla ille forſitan mutuatus eſt ab altero ſcripto-
re, ut quæ de contemnenda morte, & de luctu minuendo
ad Apollonium uſurpauit. hæc enim ex conſolatione Stoïci
Crantoris in morte filiæ ſuppilantur. id, qđ his paucis dieb.
Florentiæ obſeruauimus, cum eundem Plutarchi commenta
rium, et M. Tullij quæſtiones Tuſculanas unà euolueremus.
Etenim M. Tullius eadē, quæ in Plutarcho leguntur exem
pla, quæſtione tum prima, tum ſecunda refert, atque illa
ipſa ex Crantore ſe excerpſiſſe demonſtrat. Memoria quoq;
teneo me tum audiſſe, te multa capita orationis pro Archia
Poëta contuliſſe cum Euagora Iſocratis, atq; deprehendiſſe
M. Tulliū illū græciæ Oratorē, quē præcipue admirabatur,
apte etiā imitatum fuiſſe, et ſuauitatem ſuam in puro, &
candido dicendi genere inde ſumpſiſſe. à qua quidem re in
imitando Demoſthene maxime abhorret. nunquam enim
ſententias illius integras latine redditas in ſuas transfert
orationes. quod duriores, incultiores, & horridiores eas iu-
dicaret, quàm teretes, & limatæ ciuium Romanorum au=
res ferre poſſent, cum tamen ex illo arripuiſſet eximiam il
lā argumentandi uim, & in docendo, ac explanando ſub=
tilitatem, et deniq; in tota cauſſa agenda ordinem. M. qui-
dem Brutus à tali Iſocratis dicendi genere abhorrebat. ac
propterea nō ſolum à Cicerone diſſentiebat, qui tantas lau
des in eum Oratorem congerebat, quique ex Platonis teſti=
monio tantopere eundem ipſum ubique efferebat, ſed Ora
torem etiam, quem M. Tullius libro ad eum ſcripto infor-
marat, non ſatis probabat. id, quod ex quadam Ciceronis
ad Atticum epiſtola cognoſcere licet. uoluntas nimirum, &
natura, unde oratio naſcitur Brutum trahebat ad eam di-
ctionis

ctionis formam, quæ preſſa, ſeuera, & quaſi mœſta eſſet. Tantis igitur laudibus dignus ſemper mihi uiſus es Nicolaë, quantis omnes te nunc maxime in cælum iure, & uere ferunt. ſiquidem è tanta perplexitate latinæ orationis, & uarietate ſcriptorum admirabilem urbanæ eloquentiæ nitorem ſelegiſti, quem ſic in ſcribendo ſeruas, ut omnium Oratorum latine loqui elegantiſſime uideare. Teſtes ſunt Orationes plurimæ, quas Romæ & apud Pontifices Maximos, & in ſummorum Antiſtitum ordine habuiſti. illæ enim non minore doctiſſimi cuiuſq; admiratione leguntur, q̃ plauſu, & omnium laude, cum haberentur, audiebantur. Teſtes item cõciones tuæ grauiſſimæ, omnibus'que oratorijs uirtutib. ornatiſſimæ in Germaniæ, & Pannoniæ conuentibus. quib. nimirum perfectum eſt, ut Maximianus Cæſar deſignatus qui ab rationib. Franciſci Regis Galliæ diſſentiebat, inimicitias Pontifici Maximo condonarit, armáque cum illo ſociarit ad frangendos ſpiritus Turcarum Regis, qui deuicta Syria, & Aegypto Italiæ imminebat. Teſtis præclara Hiſtoria earum rerum, quæ noſtra ætate in Italia, & in prouincijs tranſalpinis geſtæ ſunt. præclara inquam & admirabilis, quod rerum copia, & ſententiarum uarietate abundet, & fide maxime illuſtretur, uerborum'que delectu, & apta compoſitione politiſſima ſit. quam etiam ſcribendi laudem feliciſſime conſecutus eſt Paulus Iouius tuus in ea Decade, qua res omnes cõplexus eſt, quæ toto terrarum orbe geſtæ ſunt poſt, quàm Carolus VIII. Rex Galliæ cum maximis copijs tranſgreſſus Alpes tranquillum Italiæ ſtatum perturbauit, & prima funeſtiſſimorum in Italia bellorum iecit ſemina. Hiſtoria enim huius clariſſimi ſcriptoris omnes elegantiæ flores omnia eloquentiæ lumina habet, & mira orationis claritate ſplendeſcit. uſque eò omnia ornate narrantur, & regiones aut pugnæ admirabiliter deſcribuntur, & conciones hortationes'que prudenter, & grauiſſime interponuntur. Denique illius auctor uarietate, euagationib. amplificationib. digreſſionib. non minus præſtantis Hiſtorici, quàm exi

*mÿ Oratoris laude ab omnib. decorari debet. Teſtes eti-
am multo ſtudio elucubrati commentarÿ, in quos retuliſti
quicquid è recentioris Theologiæ libris excerpi poterat
memoria dignum, & ſcitu præclarum, ubi etiam demon-
ſtras quatenus id totum uel cum ueteri Academicorum, &
Peripateticorum diſciplina conſentaneum eſt, uel ab ea di-
ſcrepat. Opus ſine controuerſia tum copia, & uarietate re
rum pulcerrimarum, tum dicendi nitore, ac elegantia abſo
lutiſſimum, & cuius dignitas omnib. latinæ orationis inſi-
gnib. & præſtantiſſimi Theologi, ac Philoſophi ornamen-
tis amplificata luminib, obſtruet multorum Theologo-
rum, quos uulgus ideo doctrinæ, & ingenÿ gloria cele-
bres iudicat, quod propter ſummam innocentiam, ſanctiſ-
ſimos mores, ſingularem uitæ integritatem, atque conſtan-
tiam à ſuperiorib. Pontificib. in numerum Diuorum relati
ſunt. Et quoniã perpetuo illius argumento uerſaris in ue
ro à falſo ſecernendo, & in hac ipſa re, ut in alÿs multis;
primas tibi omnes deferunt, ideo attentior ad primam hu-
ius poſterioris libri partem cognoſcendam lector, et iudex
mihi optandus es, qppe quæ tota diſquiſitionem uitæ hono-
ratæ, & priuatæ contineat. Itaq; iã memoriæ ſermonem
prodamus, quem poſtridie tres ÿdem Medices habuerunt;
quorum pridianũ etiam ſermonem expoſuimus. Atq; illi
qdem ex condicto omnes inclinato iam in pomeridianũ tem
pus die in Ortos ueniũt, ibiq; conſidunt, Iulius & Lauren
tius, ut magna cum audiẽdi exſpectatione, ita Legatus cum
nõ minore dicendi auiditate. Ergo ſic natum eſt exordium.*

L E G. *Hæc quidem amœniſſimorum Ortorum facies
me admonet ut prudentem illum agricolam imiter, qui in
Phædro Platonis deſcribitur. Is enim ſemina, ex quibus
ſuaueis exſpectat fructus, non æſtate in Adonidis ortos
ſparget, quo intra octauum diẽ pulcros decerpat fructus.
quin potius, ſi uera colendi agri laude ducatur, ſementem
faciet in feraci ſolo, & ſatis ſe conſecutum putabit; ſi poſt
octauum menſem effuſam uiderit frugem. Idẽ quoq; mihi
ipſi efficiendum ſtatuo. nam in animis noſtris inſerere ne-*

ceſſe

ceſſe eſt perpetuam quandam conſtantiam fortunæ aduerſæ tolerandæ. Quin etiam acquieſcere non debeo in præſenti plauſu, quo orationem meam proſequi ſoletis, ſed à uobis cauere, uos tali animo ſemper futuros, nedum ad octo menſeis. id, quod prudentem Agricolam de ſua fruge optare debere Plato dicebat. IVL. *Quò iſta uergant mi frater neſcio. Veruntamen illud apud animum tuum teſtatum relinquam, nos minime uelle pudoris noſtri damnum apud te facere. id, quod certe fieret, ſi nunc aliquid tibi repromitteremus, quod mox optima fide tibi non præſtaremus. imò à te nunc exſpectamus ea, quæ heri de Plutarcho te dicturum pollicitus es. atque eo magis, quod ſuſpicor tuum iudicium de tanto auctore non nihil à meo diſcrepare.* LEG. *Plutarchus quidem Iuli unus is fuit, qui ut æquales omnes Græcos laudatarum artium, & utriuſque linguæ ſcientia, atque antiquitatis noſtræ, et Græcæ in reb. inuentis & actis peritia uincebat, ita maiora laudis teſtimonia habuit, & amplioribus honorib. affectus, exquiſitiorib. q; iudicijs ornatus eſt, in primiſq; Traiani Cæſaris, qui hoc ſpecimen uirtutis, indicium animi, & lumen dignitatis ſuæ fore putauit, ſi eundem ipſum Conſulem declararet, & iuberet, ut cunctæ Illyridos præſides nihil decernerent, niſi quod illius teſtimonio confirmatum, & uoluntate ratum eſſet factum. Et iure quidem ille clariſſima hæc uirtutis inſignia, hos laborum fructus, hæc uigiliarum præmia eſt conſecutus. nam Græcorum omniū unus, qui poſt fractas à Philippo, & Alexandro Græciæ opes fuere, Strabonem ſemper excipio, probandus mihi uidetur, ſed non in omnibus ſuis ſcriptis. Quæ enim de uirtutibus, de hominum moribus, de diſciplina ciuitatum, de rep. de imperio, de re militari diſputat, tot præceptis confuſa ſunt, ut ad ea diſtinguēda altero ferè Plutarcho auctore opus ſit. atque ita multas habent, obſcuraſque ſententias, ut uix intellegantur. ac propterea difficile arbitror ex eorum lectione cultiorē inſtituere uitam. Genus autem orationis, quod ad hæc ipſa tractanda adhibuit, exile, aridum,*

minutum eſt, & aliquando inflatum, nonnihil etiam ſubmoroſum, & ſtomachoſum, cum æquabile, & temperatum eſſe deberet. hoc enim ad docendum aptum eſt. oſtendunt tamen illa omnia auctorem ſuum ita mirabiliter moratum fuiſſe, ut uoluerit rectas artes, & excellentem rerum ſcientiam, non oſtentationem ſui profectus eſſe, ſed legem uitæ, & morum magiſtram, & omnium ſuarum actionum ducem. Alteru genus ſcriptorum in manibus eſt, quo ritus, mores, inſtituta græcæ, latinæque gentis, & inſignium uirorum res geſtas, conſiliáque & fortunæ uiciſſitudines exponit. opus nimirum pulcerrimum, & uarietate ſua iucundiſſimum, maximáque laude digniſſimũ. ſed illud planè maiore etiam laude dignum facit excidium urbis Romæ, diſturbatióque municipiorum Italiæ, & aliæ maiorum noſtrorum calamitates. cũ enim Plutarchus illud ipſum Græcis potiſſimum ſuis ſcripſiſſet, ad utilitatem etiam Latinorum hominum nonnihil pertinere cœpit, poſt, quàm Roma imperium amiſit, & Bybliothecæ combuſtæ ſunt, & in ruinis euerſæ, atque afflictæ Italiæ noſtri homines uixerunt. hi enim cum inopia eorum auctorum premerentur, à quibus res Romanas mutuatus eſſet Plutarchus, ad illius Græci commentarios confugerunt. eoque magis, quod uidebant ex illis ipſis magnam antiquitatis noſtræ, & græcæ in rebus inuentis, & actis cognitionem capi poſſe. Fuſior quidem horum librorum eſt oratio, & multo redundantior, ſed aſperior, & grandior, quàm lex componendæ Hiſtoriæ patiatur. ut enim ex Cicerone didicimus, nihil eſt in Hiſtoria pura, & illuſtri breuitate dulcius. Omnino ille mihi uidetur grandis quidam, &, ut ita dicam, Tragicus Hiſtoricus. atque ſic ſtatuo ex tribus illis rebus, quas in Oratore ſpectandas eſſe cenſet Platonicus ille Socrates, naturam, multarum rerum diſciplinam, & exercitationem, præcipuum Plutarcho defuiſſe naturam, duas reliquas ſuperfuiſſe, in primiſq; multarum rerum diſciplinam: quam quidem ſtudijs noſtris eatenus perſequi debemus, quoad eloquentiam illuſtret, nõ obſcuret, et obruat. Ex priore autem ſcri-

ptorum genere ſunt dictata iſta de uita illuſtri, quibus te ſuſpenſum haberi dicis IULI*. atque illa quidem ſemper iudicaui ab homine effuſa eſſe ad ingenij exercitationem, non ad perpetuam nominis ſui laudem.* R*ationes autem, quas colligit, non ita certæ ſunt, ut probent quæ de honore ſentimus, falſa eſſe. quaſdam enim de illis edidici magis prudentiam hominis requirens, quàm ſuſpicans me ex illarum memoria aliquando ſentẽtiam mutare poſſe. nam certò ſciebam illum errare, & alios etiam errare cogere. uultis igitur me illas afferre, & quàm falſæ ſint demonſtrare?*

IUL. *Id quidem ipſum optabamus, pro* L*aurentio enim, qui minor eſt natu, meo iure reſpondeo. ſed pudore impediebamur, quo minus id peteremus. nam ſuſpicabamur eam ſanè rem maiori oneri tibi fore, quàm omnem ſermonem, quem heri habueris.* LEG. *Atqui maiori eſt futura uoluptati, quoniam uos omni ſolicitudine liberatos uidebo, à quibus certe oculos nunquam deijcio.*

IUL. *Amor tuus ex omnibus partibus ſeſe mihi oſtendit in ſermone tuo. & quocunque me uerto, beneuolentiæ, & pietatis tuæ maxima in me ſigna uideo.* O*mnino eſſem in meo infinito mœrore magis ſolicitus, niſi aliquando curam, & angorem animi mei ſermone, & conſilio leuares tuo. atque utinam fortuna facultatem nobis det, ut in huiuſmodi communicatione ſermonum diu amore noſtro perfruamur.* LEG. P*ræceptionem igitur ſuam* P*lutarchus ita inſtituit, ut dicat, qui hanc uocem pronuntiauit,* VIVENS *fefellit, ideo pronuntiaſſe, ut obſcurus non eſſet, quippe qui alios intellegentia ſuperans ſperaret ſe falſam gloriam adepturum ex cohortatione ad gloriæ contemptionem.* Q*uæ, malũ, iſta confutatio. nam huius ſententiæ auctor nomen ſuum ſuppreſſit, quia re probare uoluit id, quod animo ſentiebat.* E*t certe obſcurus eſt, quoniam qſnam auctor ſit, nõ ſatis conſtat.* P*ræterea nullam falſam gloriam captabat alijs cohortandis ad gloriæ deſpicientiã, quandoquidem falſa gloria ea eſt, quæ ex falſa improborum fama emanat.* S*ed ille æquè neglegens fuit bonæ, &*

malæ ſimæ cõtentus officio duntaxat ſuo. Nihil aũt ad cauſſam pertinet exemplum, quod attulit de Siculis illis Philoxeno, & Gnathone, qui ad epulas inuitati ſe emungere ſolebant in pultaria, quo conuiuis alijs nauſeantibus illi ſoli appoſita deuorarent fercula. nam qui priuatam, & ingloriam uitam probant, ad ſecuritatem animi ſui, et tranquillitatem reſpiciunt, non ad gloriam, & ad honores ab alijs repudiatos. Contra edaces illi Siculi appoſita obſonia helluabantur, cum reliquos conuiuas mucore ſuo à cibis arcerẽt. Nec uero quæ propoſuit de homine in puppi ſedente, clauum'que tenente conueniunt ſimilitudine ulla cum honorũ contemptore, & uitam priuatam colente. Qui enim, inquit, ad puppim ſpectat, proræ quidem impetum incitatiorem efficit, ut repercuſſus fluctuum maris omni ex parte arripiẽtes nauigium impellant. Sed tamen hi in nauigio ſemper conſiſtunt, portum ſemper tenere auent, & honorem nauigij gubernandi ſemper obtinere uolunt. Priuatus autem ciuis ab rep. remotus eſt. nullum item à fortuna portum quietis precatur, ſed eo utendum eſſe cenſet, quem animo iam pridem ſibi conſtituerit. Reip. quoque gubernacula omnia ſpernit, & interquieſcens alijs aditum patefacit ad ea tenenda. Præterea quorſum, inquit, oportebat hoc præceptum dare? quid illud ſcribere? & ſcriptum diuulgare, ac poſteritati prodere? ſi latere uolebat æquales, cum ne poſteris quidem obſcurus eſſet futurus. Equidem iudico quicunque ſcitum iſtud protulerit uoluiſſe æquè notus eſſe æqualibus, ac poſteris, cum utroſque moneat ambitioſam uitam fugiendam eſſe. & eo quidem magis, quod in otio diſcere poſſumus multa, quæ ſummo ſtudio, & cura à ſapientiſſimus uiris tradita ſint ad beate uiuendum, quæ'que uel optimus in rebus, et uſui, et delectationi eſſe poſſint. In negotio autem, præſertimq; publico neceſſe eſt in foro uerſari, in curia frequentem eſſe, in celebritate, & oculis ciuium uiuere. ita nullum tempus ſuppetit, quod ſtudijs literarum, & uitæ honeſte, fœliciter'que agendæ dari poſſit. Neque uero hoc ipſum præceptum deteſtabile eſt, quoniam, ut ait, périn

de uiuetur, ac in ſuffoſſis ſepulcris, & in abditis umbraculis. certe iſtiuſmodi uitæ genus non deſignat Pronuntiator huiuſce ſententiæ, ſed id, quod à negotijs publicis remotum ſit, & gradum quaſi praſtruat ad felicitatem facilius aſſequendam. illa enim uita ferarum, & beſtiarum eſt, quæ quidem luſtra quærunt, & latebras, ubi ſe condant. hæc hominum, & eorum planè, qui meminerint ſe ingenue natos, quorum proprium eſt nemini parcere, libertate uti, ſic uiuere, ut uelint. Tum Plutarchus ego, inquit, dixerim ne male quidem uiuens obſcurus eſſe uelis, ſed nobilis & reſipiſce, pœniteat, & ſiue compos uirtutis es, omnibus uſui eſto, ſiue uitijs obrutus, curationem recipito. Non iſthæc præcepta conſentiunt cum moribus, & inſtitutis tuis præclariſſimis Plutarche. Damnaſti tu aliâs, & quidem merito, ac optimo iure Heroſtratum; qui magnificentiſſimum Dianæ Epheſiæ templum inflammarat, ut nomen ſuum per totum orbem terarum peruagaretur. quāquam Epheſij mox ſciuerunt, ut omnis memoria nominis illius ſempiterna obliuione deleretur. Theopompus tamen primus auſus eſt illud exprimere. Damnaſti etiam Pauſaniā Philippi Regis percuſſorem, qui tantum Regem interfecerat, quod audierat ab Hierocle, ſiue Hermocrate Sophiſta inſignem aliquem uirum interficiendum eſſe, ſi perpetuam gloriam conſequi uellet. At Plutarchus dicet reſipiſcito, pœnitentia ducatur. Quid ſi nolit? aut non poſſit? nam plerunque eiuſmodi homines ad committenda ſcelera pertinacia ſua obdureſcere uidentur, aut confeſtim acerbiſſimas pœnas luunt inſaniæ & furoris ſui. Contra ſi uirtute præditus eſt alia ſanè uia poteſt uſui eſſe ciuibus ſuis, ut ſi doceat, ſcribat, commentetur. atque hæc quidem uia tutior eſt, quàm ſi magiſtratus adipiſcatur, & remp. gerat. Si uero uitijs inquinatus eſt, certe nullum genus medicinæ fibras eiuſmodi ægritudinis euellere pōtq; depravatæ natura altius cotidie agūtur, et latius ſerpūt ad huius, aut illius iniuriā et maledicentiā. Tali ineptæ gloriæ cupiditate flagrarūt apud Latinos maxime Bauius, & Meuius, quos Vergilius, & Horatius inu

ſtos maledictorum nõis perpetuæ poſteritati inuiſos reddi
derunt. D. ſinguere, inqt, oportebat cui præciperet, ſi indo
cto, & homini nequam, perinde, ac ſi dixiſſet, cum febre,
aut mentis motione teneris, da operam, ut nemo ſciat te con
flictari eiuſmodi morborum genere, cum contra fieri debe
at. nam & morbi detegendi ſunt, & Medici arceſſendi ad
curationem. Sin bonis, Epaminondæ, inquit, dicis ne Impe=
rator ad bellum proficiſcatur, Thraſibulo, ne Tyrannos in=
terficiat, Lycurgo, ne leges ſanciat, Socrati, ne diſputet. Di=
ſtinxit certe Plutarche, & bonos à malis ſecreuit nõ enim
omnibus præcipit, ſed ijs tantũmodo, qui animo quieto uiue
re cupiunt. cum præſertim medicinam ægritudinum ani-
mi plerique gratam, & probatam habeant, complures ſuſ=
ſpectam, & inuiſam. Tales autem ſunt improbi, & nefa=
rij homines. Diſcrepat etiam nõnihil ſimilitudo, quam de
eo attulit, qui morbo laboraret. is enim ſi febre tentetur,
aut ſi mente ita motus ſit, ut ex interuallo reſipiſcat, profe=
cto medicum uocat, ſe curandum præbet, & curatus illi-
us artem ſuo etiam teſtimonio Deorum immortalium inuẽ
tioni conſecratam probat. Clariſſimus quoq; copiarũ duci
bus præcipit, et cũ primis Epaminondæ, quoniã hic laudẽ
uictoriæ ad Mãtineã partæ obitu ſuo aliqua ex pte obſcu
rauit. ob eamq; rem exiſtimo illum ſi optio data eſſet, præ-
poſiturum fuiſſe uitam longiorem uictoriæ illi tam memo-
rabili. Alij item inſignes uiri, quos commemorat, omnes ex-
tremum uitæ diem ignominioſa morte confecerunt. Thraſi-
bulus enim Athenas triginta Tyrannorum dominatione li
berauit, libertatemq; populo reſtituit, cum tamen nullam
propemodum gratiam pro tantis beneficijs ſibi referri ſen
ſerit. nam corona duntaxat donatus eſt à populo, quæ fa=
cta erat ex duabus uirgis oleagnis, & maritimo bello Im
perator præpoſitus, cum claſſem ad Siciliam appuliſſet ab
lixis q ibuſdam, & calonibus interfectus eſt. Lycurgus eti
am reip. regendæ ſcientiſſimus quamuis Lacedæmonijs ma
xime ſalutares leges conſtituiſſet, & patriæ dignitatem am
plificaſſet, perſæpe tamen exploſus eſt, aliquando etiã lapi

dib. petitus, denique furentis populi telis altero oculo ca-ptus patria eiectus eſt. Quem fructum ſuorum laborum perceperit ſapientiſſimus hic legum ſcriptor? quæ præmia uirtutis, quæ laudum ſuarum inſignia perſpicue uidetis? certe, ſi quietem, & honeſtum otium ambitioni prætuliſſet, parem ſuæ uirtutis exitum habuiſſet. Socrates autem, qui Philoſophiam primus è cælo deuocauit, ſi præcepta illius ipſe ſolus ſeruaſſet, nec ueritate fretus, ut dicebat, uoluiſſet publicum errorem tollere, nunquam mortiferum poculum hauſiſſet. quanquam poſt nauim è Delo appulſam, quod tempus neci illius deſtinatum erat, ita conſtanter è uita exceſſit, ut in cælum uideretur aſcendere, ad melioremq; uitam tranſire. id quod à Platone etiam in Phædone commemoratum accepimus. Et Philoſophus qdem hic ſummus maximarum rerum ſcientia, non honorum ambitione flagrabat, ſed doctrinæ, quæ certe maxima interdum mala nobis inurere ſolet, præſertim ſi oſtentationi coniuncta ſit. Imbecillitatem rerum humanarum, uarietatem'que fortunæ alij etiam experti ſunt, quos ipſe laudat, ut Pythagora, ut Epicurus. Prudenter igitur Q. Cicero faciebat, qui M. Fratrem ab omni contentione in rep. ac dimicatione reuocabat, in memoriam ei ſuggerens tam præcipites horribilesq; caſus Græcorum hominum & Latinorum de quibus heri memini. Sed ille ambitione ardens ſui conſilij hãc afferebat cauſſam. talia iam neque in integro ſibi eſſe poſſe & ſummos ſuos labores magna compenſatos gloria mitigari. Quid etiam, inqt, ſpectant communes menſæ? quid ſtudioſorum, & honeſtorum hominum congreſſiones? Quid tot uerſuum millia ad Ariſtobulum, ad Cheredemum ſcripta, accurate'que compoſita? nimirum, ut ne extincti quidẽ obſcuri ſint, ne uirtutem obliuione, ne deſes otium arte, ne ſilẽtium Philoſophia, ne obliuionem honeſtis actionibus deſcribas & præfinias. Menſæ qdem communes ad id pertinent Plutarche, ut ex conſuetudine uictus amicorum familiaritas augeatur, & amici noui parentur. quæ commoda priuatorum dũtaxat menſæ afferunt, & has auctor

uocis probat. Honoratorum *autem hominum epularem accubationem, & tempeſtiua conuiuia damnat, quoniam illa plerunque inſtruuntur ad uoluptates corporis ſubobſcœnas, ad libidinem explendam, ad tollendum amicum ferculis, quæ, ut ait ille, ueneno ſint adipata.* Cœtus *amicorum, & ſermones honeſtorum hominum etiam mutuam afferunt delectationem, quia de rebus maxime inſtituuntur, quæ libidines deteſtentur, & honorum ambitiones, inimicitiarumq́; contentiones uanas eſſe doceant.* Et *hoc quidem uiuere eſt, ut obſcurus ſis non omnibus, ſed hominibus tantum potentibus, qui ſuam potentiam ad bonorum perniciē conuertunt.* Extincti *etiam coluntur à bonis & gratis ſi ſuperſtites ſint, propterea quod illorum memoriam crebris ſermonibus celebrant, & nomen diuinis ornant laudibus.* Qui *obſcœna patrant, & illiberalia, hos latere debere ſcribit* Plutarchus. Quod *ſi quis exſiſtat, qui in rerum naturæ contemplatione* Deum *laudet, illiusq́; iuſtitiam, & prouidentiam extollat, & in uita moratæ leges, & ſocietatem, & remp. commendet, in rep. celebret honeſtum, non utile, cur, inqt, uiuus hic ignotus eſſe debeat?* Flagitioſam *profectò uitam ſuperioris generis hominum perpetuis tenebris offuſam eſſe oporteret, cum ex ea nullum exemplum peti poſſit ad uitam laudabiliter agendam. uerum id fieri nequit. imò ſors ita fert, ut nihil apertius, nihil celebrius, nihil tota urbe uulgatius ſit flagitijs, quæ ſecretis in locis committuntur, multa enim ipſorum flagitiorum conſcij, pleraque riuales, plurima tempus ipſum indicat.* Contemplatores *item rerum diuinarum, & laudatores uitæ, tum moratæ, tum ciuilis ſi deprehendantur minus contenti ſtatu uitæ; in quo uerſantur, habēt iniquos, quorum ſermones in eorum nomen erumpant. non carent maleuolis, qui famam illorum lacerent, qui dignitatem conuellant. nō deſunt etiam qui uitæ eorum inſidientur, & denique ad mortem adigant. id, quod ſupra de* Socrate *demonſtrauimus.* Affert *etiam exemplum de* Camillo *à quo* Roma *ſeruata eſt, ſed ille exſul ab* Ardea *ad patriæ ſalutem aduo*

lauit. factumq; illud poſteri omnes acceptum retulerunt benignitati fortiſſimi, & praeſtantiſſimi ducis, non uirtutibus eorum ciuium, qui tum remp. moderabantur, quandoquidem illũ paulo ante exſulatum ire coẽgerant. Si Dionem, inquit, Plato non cognouiſſet Sicilia in libertatem uindicata non fuiſſet. Enimuero Plato ille fuit, qui Syracuſiũ Dionem doctrinis omnibus expoliuit, quiq; non linguae ſolum, uerum etiam animi, ac uirtutis magiſter eundem ipſum ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, & armauit. Sed nimirum praeclare actum fuiſſet cum Platone, ſi nunquam in Siciliam ueniſſet, praeclarius cum Dione, ſi Platonis auctoritatem ſecutus non eſſet in liberanda patria. Platonem enim Dionyſius ſuperior uenundari iuſſit tanquam uiliſſimum mancipium, cum tamen ante ille, ut ineſcaret credo hominem, fuit enim acer, & ſubdolus in rebus gerẽdis, permiſerit Siculos eidem ſic obuiam prodire, ut nihil fieri poſſet honoratius. Quin etiam Dionyſius filius naui uittata illum ipſum ad ſe uenientem excipi iuſſit, & ipſe quadrigis albis praeſtò fuit hòmini in litus egredienti. Dio autem rerum nouarum cupidus audite quantum ſpe ſua falſus ſit, filium amiſit paulopoſt, quàm domum reuerſus eſt. Dionyſium pernecceſſarium expulit, patria frui non potuit, quam tanta cupiditate dominatu regio liberarat. eam enim coactus eſt tradere adminiſtrandam Apollocrati, Heraclidem etiam ciuem Syracuſanum opibus, affinibus, & clientelis florentiſſimum obtruncauit, in bona ciuium locupletum inuaſit, eaque ſuis militibus attribuit. Quam ob rẽ ciuibus uniuerſis ita inuiſus erat, ut Calicrates Athenienſis exiſtimans Populo Syracuſio ſe rem gratam facturum, hominem è medio tollere ſit auſus. Poſt quod factum Dionyſius in poſſeſſionem dominatus potentiſſimi reſtitutus eſt. Quin etiã, inquit, animus hominis propter obſcuritatem in deſidi otio quaſi ſitum contrahit, & uetuſtſcit. At muta quies, uitaq; languida in otio deiecta non ſolum corpora, ſed etiam animos tabeſacit, pèrinde, ac aquae ſepoſitae, quae curſu impedito putreſcunt, quoniam umbra opa-

tinntur, & deſident, ſic torpeſcentium hominum uita ſi quid habet uſui futurum, conſumitur, & cum neque profluat, neque potum ſui elargiatur, natiua illa uis ſenectute deperit. Nihil ſtatuis Plutarche, quoniam obſcuritas nullum prorſus ſitum affert illius animo, qui honeſtum otium perſequitur. imò priuatus ciuis, quem nos probamus, ab omni langore abeſt, cum quies illius neque muta ſit, neque obſcura hominibus uirtute præditis. quanquam lateant potentes, & furioſos. Nec ſanè uitam probamus otio penitus torpeſcentem, quoniam hæc ſua deſidia marceſcit in morem aquarum deſidentium, quæ putreſcunt, & tetrum fœtorem exſpirant. Nec contra eorum uita placet, qui imperia, & magiſtratus appetunt, quique humana, & diuina iura peruertunt, et omnes gradus honorum percurrere auent, quo auaritiam ſuam expleant, tanquam torrentior aliquis fluuius, qui præcipiti curſu delatus omnia proſternat. Mediocritatem utriuſque uitæ laudamus tanquam limpidi lacus aquam, quæ ſedata ſit, & ſine ſalebris remiſſiore lapſu defluat. in hac enim & tuta nauigatio eſt ad uoluptatem, & cōmoda piſcatio ad utilitatem. Inconſtans ſanè noſter Demoſthenes, qui re non probauit id, quod animo ſentiebat. Siquidem rem unam aiebat eſſe omnium difficillimam multis placere. atque etiam cum duæ eſſent uiæ, una ad inferos, altera ad ſuggeſtum, & tribunal, ſanæ mentis hominem debere eam eligere, quæ ad inferos duceret, ſi optio daretur. Sed tamē nihil in tota Græcia illo fuit ambitioſius, nihil ad claritatem, & amplitudinem ardētius, nihil etiam ad ſuſcipiendas contentiones paratius. Itaq; præclara Athenienſium ciuitas omni fortuna proſperius functa eſſet, ſi ille mediocritatem in reip. honorib. ſeruaſſet, ſecutus'que eſſet Antiſthenem doctiſſimum illum Socraticæ diſciplinæ alumnum, qui patientiam, & duritiam in præceptoris etiam ſermone maxime adamaſſe dicitur. Is enim interrogatus, quo pacto quis accedere deberet ad rēp. reſpondit quemadmodum ad ignem, neq; ualde propè, ne urare, neque procul ne algeas. At Demoſthenes non prius

concionari

concionari deſtitit, quàm noua miſceri, & conciteri mala uiderit. Et Athenæ qdē XXXXV annos uniuerſæ Græciæ, & quidem uoluntariæ imperium tenuerant, ut idem ipſe Demoſthenes in oratione de digrēda ciuitate inquit, quod tamen amiſerunt ciuium ignauia, libertatem autem funditus perdiderunt ambitione, & licentia Demoſthenis concionantis. Non'ne uides etiam, inquit, nocte inſtanti corpora inerti torpore diſtineri, & animos graui admodum ſocordia corripi, & compreſſam rationem in ſe ipſam tanquam ignem reſtinctum ob ignauiam, & mœſtitiam cum imaginib. ſparſim diffuſis colluctari, & quantula ſit hominis uita indicare. Hoc merū auillum eſt Plutarche. ingruentibus enim tenebris multa aguntur ab induſtrijs hominibus, quæ commode non queunt de die confici. Atqui tempus illud maxime aptum eſt ad dictandum, ad meditandum, denique ad cogitandum quemadmodum uitam die cum honeſtate, cum laude, cum honore tueamur. propterea ueteres Græci noctem εὐφρόνην appellabant. Nocte etiam uigilamus, & diligentia noſtra freti ueternum depellimus. quo tamen tempore ignauorum hominum corpora maxime inuadi ſolent. atque etiam ignem Solis inſtar nobis eſſe arbitramur, eoque utimur ad actiones honeſtas. Ne multis. ſomnus cum tanquam publicanus, ut Ariſtoni placet, dimidium temporis, & uitæ nobis eripiat, quæ breuis admodum conceſſa eſt, efficitur profectò ignis opera, ut poſſimus noctu æquè elaborare, ac de die. Magno argumento eſſe debet ille ipſe Demoſthenes. hic enim nocturnum tempus præcipue ſibi cōmodum eſſe ſentiebat ad commentandum, ad legendum, ad ſcribendum. Quam ob rem Pythea dicebat eiuſdem orationes nocturnam olere lucernam. deſignans nimirum laborem, quem eximius Orator in cultu earū nocte ſuſcepiſſet. Exſtat quoq; M. Varronis teſtimoniū de lucubrationib. Cleantis, q cum inopia rei familiaris premeretur noctem ferè totam partim illiberaliter elaborādo partim lectitando conſumebat, ut uacuus, & otioſus diem conferre poſſet in Zenonis præcepta audiēda. Cicero item

Ser·Sulpitio Græciæ præfecto reſcripſit, q ei ſignificarat ſe propter occupationes intermittere ſtudia literarū· A ſtudio, inqt, te abduci negotijs intellego ex tuis literis, ſed in aliqd iam noctes te adiuuabunt· Tū Plutarchus, Eqdē arbitror, inqt, et hāc ipſam uitam, qua fruimur, & ortum noſtrū, & humani generis communionē à Deo nobis datam eſſe ad cognitionē· Rē controuerſam, et multis quæſtionibus implicitam Plutarche, ut pſpicuā, et certam proponis· Inter omnes tamē cōſtat nos ad magnificentiora, et ad altiora natos eſſe, quàm ad mutuam cognitionem · alij enim exiſtimant nos edi, & in lucem ſuſcipi ob uirtutem, alij ob honeſtatem, alij ob ſcientiam contemplandi, fœlicitatemque humanam conſiſtere in Dei cognitione, & illius numinis admiratione· atq; Peripateticorum hæc fuit ſententia ab auctoritate principis Ariſtotelis repetita, quam Chriſtiani quoque Theologi aliqua ex parte probarunt, etiam ſi aſſerere niſi ſint nos eiuſmodi fœlicitatis compotes eſſe non poſſe, niſi poſt corporis interitum· Ac mea quidem eſt ſententia, inquit, ueteres ob ſimilem cauſſam hominem Phota, hoc eſt lucem appellaſſe, quod uehemens cupiditas ingenita cuique ſit mutuæ cognitionis propter naturæ cognitionem· Si locus eſt Latino homini in afferendis uerborum græcorum etymis aduerſus Græcos, dicerem potius Phota Græcis appellatum eſſe hominem, quod ex omni animaliū genere unus ſupra omnia emineat tanquam lumen quoddam clariſſimum propter fabricationis excellentiam, & propter cæleſtem uirtutis docilitatem, & diuinam quandam rationis præſtantiam, quam ſolus ille obtinet· Tum animum, inquit, ipſum nonnulli è Philoſophis luminis natura præditum eſſe affirmant, & cum alijs utuntur coniecturis, tum ea potiſſimum, quod animus ab ignoratione rerum abhorreat, & quicquid obſcurum eſt, tollat, & tenebricoſis rebus perturbetur, cum timoris, & ſuſpicionis plenæ illæ uideantur· Lux autem ſic ſuauis, & amabilis eſt, ut nullam ſanè rem uel ſuapte natura iucundam in tenebris uideamus· Delirantiū figmenta, aut mera ægrotantium ſomnia fuerunt illa Plutarche, quæ in

hanc

hanc ſententiam allatæ ſunt à ueteribus de natura animorum, è quorum numero primus fuit Heracletus. Is enim ex igni tantummodo animum conſtare affirmat, & illius qualitatem, ut Philoſophi dicunt, animo tribuit. ac propterea ζωὴν à Græcis appellari uitam contendit, quod id nomen efferueſcentiam ſignificet, quippe cum animus ſit feruor & ignis. Cum Heracleto ſic deliranti faciebat Alcmæon Crotoniates magis ipſe delirans, etiam ſi Phyſicus appellaretur. Ecquis iam ad Philoſophos iſtos reprehẽdendos non exardeat? ecquis ad tam ineptas, inſulſasque ſententias conuellendas non moueatur? Animorum certe in teris nulla origo inueniri poteſt. nihil eſt in animis miſtum, atque concretum, aut quod ex igni natum, atque compoſitum uideatur. nihil frigidum, nihil humidum, nihil ſiccum, nihil flabile, nihil igneum in re tam diuina eſt, quandoquidem in hiſce naturis nihil ineſt, quod uim reminiſcentiæ, & cogitationis habeat, & quod præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia. atq; hoc quidem præſtare ſummæ diuinitatis eſt. nec inuenietur unquam, unde ad hominem uenire poſſit animus niſi extrinſecus à Deo'ne, an aliunde nihil hic diſputare attinet. quanquam ſi Chriſtianos audire uolumus, ut audire debemus, Deus, Deus ille eſt, qui animum ex mente ſua decerptum noſtris in corporibus cõcludit, rem plane cæleſtem, diuinam, æternam, immortalem, & quam poſteritas omnis conſequentis temporis excipiet. quin nihil aliud eſſe corpus arbitramur, niſi appendicem animi, & ſic rationem cum eo habens, ut ſui uſum, tanquam inſtrumenti præbeat. Nos autem rebus lucidis, & perſpicuis oblectamur, quia natura ita fert, ut ad res iucundas, & ſalutares accedamus, à triſtibus, & peſtiferis recedamus. atque tales tenebræ ſunt. Nec uero animus is eſt, qui uoluptate afficitur. ſed nos per animum, hoc eſt id, quod ex animo, & corpore conflatum eſt. Si enim animus mæſtitiam, aut lætitiam caperet, nimirum, & texeret, & ædificaret. id, quod Ariſtoteles primus omnium memoriæ prodidit, & qui ex illius familia profecti ſunt, con

ſtanter affirmant. Sed tamen non negauerim eiuſmodi motuum fontem, & cauſſam eſſe animum, atq; etiam illo ipſo complecti rationem architectandi, & ædificandi. Deniq; ſic ſtatuo, ut opifex & faber exſtruit ædes, non ars ipſa architectandi, & fidicen lyram pulſat, quamuis faber, & architectus exædificent ex arte, & fidicen pulſet ex muſica, ita animũ nec dolere, nec lætari, nec miſereri, nec iraſci, ſed hominem ꝑ animum. Et iam exitum inſtitutæ orationis expediui non ut uolui, ſed ut me temporis anguſtiæ coëgerunt, atque etiam edidi quæ potui contra formã uitæ illuſtris à Plutarcho græcis uerbis expreſſam, quam quidem latinis etiam uerbis ita reddidimus, ut multa præterierimus, quæ ille ipſe colligit ad probandam ſententiam ſuam, quoniam iudicauimus illa longiore non indigere confutatione. & eo quidem magis, quod ea, quæ propoſuimus ſatis eſſe poſſunt ad explicandas rationes ferè omnes, quæ ꝑpetuo ſuæ inſtitutionis argumento attulit. Sed quando emerſiſſe iam è uadis & ſcopulos præteruecta uidetur oratio, facilis ſanè mihi curſus oſtenditur ad reliqua perſequenda. atque inter hæc ſunt, qui de ueterum maxime memoria inhonoratam uitam prætulerunt illuſtri, & glorioſæ, cum tamen ante maximis imperijs, & honoribus fungerentur. IVL. *Niſi ſupra tam plena manu, tam ingenue, tam ornate ueras Plutarchi laudes in aſtra ſuſtuliſſes, iudicarem omnino eundem ipſum ſegregandum non eſſe à numero aliorum Bœötiorum, qui cum cælo uterentur craſſo, & concreto male audire ſolebant à ueteribus Græcis, ut hebetis, & obtuſi ingenij homines. Itaque teſtimonio adductus tuo, quod ornatiſſimum dedisti de ingenio, & doctrina eiuſdem auctoris, poſthac ſtudioſius commentarios illius lectitabo, & ſiquando locus inciderit ſiue perplexitate elocutionis, ſiue abſtruſo uerborum uſu mihi ſubobſcurus, conſulam Varinum Camertem, qui Bybliothecæ noſtræ præeſt, hominem literatiſſimum, et humaniſſimum, aut Scipionem Carteromachum familiarem etiam noſtrũ, cui tametſi latinus eſt, attamen uel Græci ipſi in ſuæ linguæ*

cognitione & ſubtilitate primas deferunt. tecum enim collo quendi, qui illo nō inferior es, perraro facultatem habeo, quandoquidem priuatis amicorum negotijs, & orbis terrae procuratione magnopere diſtringeris. Neq; uero me multum mouebunt rationes, quas de uita honorata tanquam totidem iacula uibraſti in præſtantiſſimum ſcriptorem, cum intellegam te ingenij acumine, & argumentandi ui, non cauſſa ſuperiorem eſſe. Præterea quis de ueteribus Græcis, nedum Plutarchus multo recentior poſſeſſionem famæ, & dignitatis ſuæ retinuerit te contradicēte? Gratiſſima quoque mihi fuerit enumeratio eorum, qui honorum ſplendorem obtinentes in ordinē ſe redegerunt, modo illos à memoria multorum annorū remotos propter uetuſtatem cogare ex præclarioribus literarū monimentis repetere. nam quæ leguntur in quibuſdam ignobilium ſcriptorum libellis de Rachiſio Langobardorum Rege, & de Carolomāno Galliæ Rege, qui fratribus regna tradiderunt, ipſi'que priuati in Monachorum Cœnobijs uixerunt, mira quidem mihi uidentur, ſi uera ſunt, ſed quæ à Chriſtianis hominibus perbelle exſpectari poterant, quorum propria laus eſt pœnitentia duci eorum, quæ peccarint, & ſcelerate fecerint. expiarunt autem illi hoc modo ſcelera, ne dicam flagitia, quæ tantis bellis gerendis commiſerant. Factum etiā laudant Cæleſtini V. Pontificis Maximi, qui tanto honore ſe abdicauit. ſed qui illorum temporum hiſtoriam ſcribunt, auctores ſunt Cæleſtinum ad id compulſum fraude Benedicti Caietani, qui poſtea idem ſacerdotium adeptus, uoluit Bonifacius VIII, appellari. Memini etiā Alphonſum minorem Neāpolitanum Regem, dum uiueret, in Ferdinandum filium regiam appellationem transferre, & regno relicto priuatum in Siciliā nauigare, ubi etiā obijt. Sed hic quoq; ultro cum laude inſignia regia depoſuit, ueritus ne cū ignominia illis ſpoliaretur. Gallorū. n. armis urgebatur. Ergo à te audire cupimus ea, quæ diſſimilia horū ipſorū exēplis ſunt, quæq; ab alijs, quāquam dicantur, tamen non ualde ad ſe inuitent hominē politioris elegantiæ perſtudioſum,

iiam ſeptæ ſunt undiq;, & ueſtitæ barbariæ uepribus, & ſordidorũ uerborũ quaſi dumetis occupatæ, cũ puīa eſſe deberent, et cultæ, et cõſpſa uerborũ elegantiarũq; pulcerrimis floribus. LEG.: Omnino Iuli abducito ex acie Bœotiorũ Plutarchũ, et illũ collocato in præſidijs eorũ Atticorũ, q admirabili ſua doctrina, et ingenio fractum, & debilitatum Græciæ nomẽ ſuſtentant. Quin ẽt exiſtimo M. Tulliũ, qui primus apud Latinos tam iniquã ſniam tulit contra Bœotios, aliqd remiſſurũ fuiſſe de acerbitate ſua contra Bœotiorũ ingenia, ſi Plutarchi uolumina legere aliquando ei contigiſſet. Iudicium autem meum cognouiſti, quod aut ſequẽre, ſi probaueris, aut tuo ſtabis, ſi modo iudicaueris me non oſtẽtatione, aut gloria adductum hæc contra Plutarchum diſſeruiſſe, ſed potius tibi gratificandi ſtudio. Audiui ẽt te ſæpe referentem exẽpla eorũ, q ſpretis honoribus, otium, & trãquillitatem uitæ cõplexi eſſent. ſimulq; cognoui te factũ eorũ magis mirari, q̃ laudare, cum diceres illos propemodũ coactos uitã eſſe ignobilẽ ſecutos. Itaq; r̃ndere uolũtati tuæ hac in re nulla alia rõne me poſſe intellego, niſi aliquos tibi cõmemorauero, q etſi honorati erãt, ultro tñ iglorij, et ignobiles ad ſupremũ uitæ diẽ puenire uoluerũt. IVL. Certe. LEG. Eſt Probi Aemilij liber de inſignibus uiris externis, Hiſtorici elegantis, & non mendacis, q teſtatur Dionyſium Siciliæ Tyrannum cogitaſſe de deponenda Tyrannide. idq; poſt, quã̃ patrem tam feliciter medicamento ſoporifero ſuſtuliſſet, & ſolus rerum poteretur. Platonem quoq; laudat, qui eiuſmodi conſilij auctor fuerat Tyranno. Sed plus gratia Philiſti Hiſtorici apud hominem ualuit, q̃ Philoſophi Platonis auctoritas. Ille enim cum moribus, & uita improbus eſſet, cumq; liberius lingua uteretur, exiſtimabat, ſe poſſe facilius obtinere licentiam cupiditatum ſuarum, ſi in dominatione Tyrannum retineret, cuius præſidio munitus ad omnia ſcelera raperetur. Sed Tyrannum hunc æquales eius ita afflictum uiderunt, ut paucos unq̃ de Tyrãnide deiectos nec uiderint, nec audierint. pulſus. n. regno opulẽtiſſimo à ciuibus, qui ſupbiam, & rapinas illius ferre

uſ ferre nõ poterant, coactus eſt uitam ignobilẽ deſiderare, q̃ cõmode iter ſuos egiſſet, ſi malos ſuaſores repudiaſſet. Nec uero ille à maximis exercitib. oppreſſus in tantas incidit erũnas. qn potius cum Dionẽ reprimere nõ poſſet cõtra ſe uenientem cũ rotundo uno nauigio, aut cũ duob. & paucis militib. ut Diodorus tradit, tantis opib. tot exercitib. relictus profugit. id qđ Demoſthenes de tẽporũ mutatione diſſerens cõtra Leptinen clamat. Verũ ille Parẽtis credo uocẽ deteſtandã, et exſecrabilem meminerat Tyrannũ pedib. tractum nõ inſidentem equo Tyrãnidẽ relinquere debere. Huius exemplo commotus Hiero ingraueſcente ætate cogitaſſe ẽt fertur liberas Syracuſas relinquere, ne imprudẽtia Hieronymi nepotis regnum amitteret, q paruus admodũ in dominatu ſucceſſurus erat, qđ nõ longo ſanè interuallo euenit. nã Hieronymus interfectus eſt, & mox Demarata, & Heraclea filiæ Hieronis cũ Andronodoro genero, & nepotibus & reliqs regiæ ſtirpis affinibus, & propinquis oppreſſi ſunt. Perpetuam Dictaturam Sulla depoſuit, in quã primus inuaſerat, triũq; peſtiferorũ uitiorũ magiſter habebatur luxuriæ, auaritiæ, & crudelitatis, illoq; felicior nemo id temporis erat, ſi copias hominis, opes, et maieſtatem, & ædiũ magnificentiã reſpexeris. Hũc quidẽ ipſum imitari uoluit Auguſtus Cæſar in Rep. reddenda, ſemel poſt oppreſſum Antoniũ, iterum moleſtia diuturni morbi. Cauſſam, cur id, quod cogitaret, nõ effecerit, qdã afferunt, qđ ſuſpicatus eſt ſe priuatum nõ ſine piculo fore, et tantum imperiũ plurimorũ arbitrio temere cõmitti. alij ſcribũt Auguſtũ Vergilij auctoritatem eſſe ſecutum, q homini ſuaſerat expedire ei, atq; adeò omnibus mortalibus illũ Principẽ eſſe, cum æqtatem, & fidem omni in genere tueretur. Ego cum diligenter euoluerem Hiſtoriã illorũ temporũ græce, & latine ſcriptam obſeruare memini Auguſtum Liuiæ uxoris blãditijs plurimũ indulgere ſolitũ. hæc aũt Tiberiũ filiũ ſucceſſorẽ relinq uolebat. ppea factum exiſtimo, ut in poteſtate retinẽda pſeueraret. Sed illa, ut maturius ẽt filiũ principẽ uideret, q priuignus Auguſti erat, uirũ necauit ueneno in ficu

dato.id, quod longa Dionis Hiſtorici *lectione compertum eſt.*
Non *præteribo* Diocletianum, *qui multa poſt ſecula rerum*
potitus eſt. Is *enim cum primum* Cæſar *ſalutatus eſt*, Maxi
mianum conſortem imperij legit, et optimo animo, ſummo
conſilio, ſingulariq́; concordia Remp. *tutati ſunt. atq; etiam*
ambo eodem die imperium depoſuerunt, & ſummam po=
teſtatem ſibi ipſis, ut ita dicam, abrogarunt. Diocletianus
Nicomediæ, Maximianus Mediolani, *cum uterq; etiam fili=*
os ſibi adoptaſſet, ille Galerũ Maximianum, *hic* Conſtanti=
num Chlorũ, *q̃ deĩnceps imperium unà adminiſtrarũt diſpa*
ribus tamen ſtudijs. Ac *huiuſce q̃dẽ memorabilis facti la*
us illuſtrior apud poſteros eſſet, ſi quandiu principes illi fu
iſſent, Chriſtiani *generis homines omnibus intolerandis pa*
tientiæ humanæ cruciatibus nõ laceraſſent. quem animum
tanq̃ hæreditarium etiam habuerunt ſucceſſores illorum.
Chriſtianos. *n. grauiter afflixerũt.* Multi *etiã alij, opinor,*
commemorari poſſunt, q̃ excelſo, & magno animo d. ſpexe
runt honores, ut in animis ſuis placidiſſimam pacem eſſe
ſentirent. ſed nobis propoſitum non eſt omnia exempla cõ
quirere. ꝑtinet enim illud ad eos, qui ſeparatim hanc ſcho=
lã explicandã ſuſceperũt. Nobis *certe ſatis nũc erit his tan*
tummodo exemplis uſos eſſe, ut probaremus alterã cauſſam
nõ magnopere iuſtam eſſe, cur exſilium malum eſſet, quam
neſcio q̃ ſapiẽtes afferunt, quod exſules patriae honoribus
careant. Reliquũ *eſt, ut tertiam cauſſam perſequamur,*
in qua breuiores omnino erimus, tum quod orationẽ iam
eduximus ex magnis difficultatibus, q̃bus ratio iſta honorũ
obſtructa tenebatur, tum quod hæc ipſa cauſa explicatu fa-
cilis habeatur, quæ eſt de amicis, & cognatis, q̃ ſi abſint tri
ſtitiã, et aſperitatẽ exſilij maiorẽ efficere ſolent. IVL.
Vt Ariſtophani Poëtæ *longiſſimus quiſque uerſus* Archi-
lochi gratiſſimus & dulciſſimus erat, ita oratio tua in hac
omnino re, copioſa, mihi & pulcerrima, & ornatiſſima ui
ſa eſt. quanq̃ tantus curſus uerborũ fuit, & ſic trãsuolauit
oratio, ut eius uim, & incitationem aſpexerim, ueſtigia, &
ingreſſum nõ uiderim, in animo tamen meo aculeos quoſdã
defixit

deſixit contemnẽdorum honorum, quandoquidem illos probaſti eſſe rem falſam, incertam, caducam, & mobilẽ, priuatum autem honeſtum'que otium unum eſſe altiſſimis defixum radicibus, quæ nulla unquã ui labefactari, nunquã dimoueri loco poſſint. Beneficiũ igitur tuũ magno cumulo auxeris, ſi reddideris quæ reſtant, quoniam confido illa fore inſignia ad maximam laudem, & apta ad leuãdum deſiderium, et luctum earũ rerum, quæ mihi me ipſo cariores ſemper fuerunt. LEG. *Neceſſariorum?* IVL. *Sanè.* LEG. *Compertum equidẽ habebam animum tuũ nulla alia re tam grauiter exacerbari poſſe, niſi memoria neceſſariorum. itaq; ad eum mitigandum hanc primum rationem inibimus, ut demonſtremus illos non ſemp honori, & uſui nobis eſſe. qua in re non longius aberrabimus ab inuentis* Ariſtotelis. *ſunt. n. huiuſce diuini* Philoſophi *præceptiones in primis neceſſariæ ad rectũ, honeſtũq; uim intellegendam, & eas res perſpiciendas, quæ congruant cum deſcriptione naturæ, unde et amicitia exſiſtit, & cognatio naſcitur.* Ex *monimẽtis igitur tãti auctoris didicimus tria amicitiarũ genera inſtitui, propter utilitatem, propter uoluptatem, & propter uirtutem, quæ ſola in excellentia conſiſtit.*

Amicitiam autem propter utilitatem eiuſmodi eſſe, ut q ſe mutuo ament, nõ p ſe illi amore flagrent, ſed quoad aliqs fructus cõmuniter ad utrunq; redundet. Eandẽ quoq; rationem eſſe amicitiæ propter uoluptatem conciliatæ, quoniã feſtiui, urbaniq; homines non amantur, qa tales ſunt, ſed potius, qa iucundi ſint, & uoluptatem afferant. Ergo *ſtatuit q cõmodi cauſſa amant, eos priuatæ utilitatis cauſſa diligere. contra q ob uoluptatem amant, propter id amare, quod ſibi iucundum eſſe ſentiunt, non quatenus talis eſt is, quẽ amore proſequuntur, ſed quoad uſui eſt, aut uoluptati.* Poſtremo *rem uniuerſam præfiniens cenſet eiuſmodi uincula amicitiarũ facile diſſolui poſſe, cum æquabilitate teneantur. eadẽ enim res ab utriſq; aguntur, & inter ſe capiunt rem unã pro alia commutantes, ut uoluptatem pro utilitate.* Tertium *quoq; genus amicitiæ demonſtrat eſſe ſtabile, & fir-*

mum, et conſtans, cum penitus propter uirtutem ſit. atq; idē probat omnis calūniæ expers eſſe, & ſine exceptione laudabile. nam inſtituitur inter parētem, & filium, & inter alios cognatos. qualis etiam eſt ſenioris, & iunioris, uiri, & uxoris, principis, & eius qui deditıtius eſt, imperioq; paret. Sed tamen inter hæc amicitiarū genera nō nihil intereſſe, quoniā cuiuſq; horum uirtus, & functio uaria eſt. Diſcrepare etiam id, quod ſingulos ad amorē accendit. ob eāq; rem uarios eſſe amores, & amicitiarū genera. atq; eaſdem qdem res utriq; ab altero nec agi, nec poſtulari oportere. qn cum liberi ea deferunt parentibus, quæ ſe illis debere intellegunt, & parētes ea filijs tribuunt, quæ tribuenda ſunt, cōmodum, fixam, & conſtantem, & liberalē eſſe amicitiam. quanquam comparationem amoris ex proportione fieri oportere dicat inter has amicitias, quas in excellētia uerſari ſupra oſtendimus, ut ſi dicamus par eſſe potiorē hominem, & utilorem magis amari, quàm amare, & quēuis alium eius generis ad hūc planè modū. Præterea aſſerit quāquam omne genus amicitiæ in ſocietate conſiſtat, tamen alijs uideri eā diſtrahēdam eſſe, quæ ad ſodalitatem, & affinitatem ptineat, quandoquidē tum ciuium, tum tribulium, tum ſimul nauigantiū, & aliorū eiuſdem generis amicitiæ ſimiles ijs ſint, quæ in ſocietate uerſantur. nā quaſi ſtipulatiōe quadā teneri uidentur. Inter harū numerū eam quoq; refert, quæ ad hoſpitalitatem ptinet. Cognatorū qdē amicitia multiplicem eſſe confirmat, ſed omnē à paterna proficiſci. parētes enim diligunt liberos, ut rem quāpiam ſui. liberi uero parētes colunt, ut rem etiam aliquam ex illis. Quid? quod parētes magis exploratum habent eos, q ſint ex ſe ipſis prodire ꝙ liberi, ſe ex illis emanare. atq; etiam magis, ut ita loquar, id, ex quo procreati ſunt, cum illis coaluit, ꝙ contra. Tēpus etiā ad beneuolentiā, & eiuſmodi pietatis uincula nōnihil conferre. Parētes. n. incipiunt filios amare, ſimulac in lucem editi ſunt, filij uiciſſim parentes nō colunt, niſi procedēte tempore, idq; rerū intellegentia duce, aut naturæ ſenſu commoti. Ergo parentes, aequè filios

amare, ut ſe ipſos, & eo quidem magis, quod intellegunt filios eſſe tanq̃ ſe alios ꝑ diſiunctionem. Inter fratres aũt mutuam pietatem eſſe debere, quod ab iiſdẽ originem trahãt. idem enim quaſi naturæ conſenſus auctor eſt eiuſdẽ rei ambobus. hinc arbitratur ẽt adagio celebres factas eſſe uoces illas, eiuſdẽ ſanguinis, eiuſdẽ ſtirpis ſunt. Magnã quoq; acceſſionẽ facere ad amicitiã ſimul educatos eſſe, idem tempus ætatis agere. æqualis enim aequalem delectat, & ipſi familiares ſodales ſunt. ob eamq; rem fraternam amicitiam ſimilem ei eſſe, quæ ad ſodalitatem pertineat. Patrueles, & alios propinquos ex his ipſis cognationem habere, quia ex eadem ſtirpe prodierunt, atq; alios magis, alios minus attingere pro ratione propinquitatis, aut longinquitatis ab ipſo generis auctore. Intercedere quidem caritatem inter filios, & parentes, pietatem inter homines & Deos, quoniam parentes, & Di beneficia contulerunt maxima. auctores enim fuerunt noſtri ortus, educationis, & inſtitutionis. Hanc item amicitiã iucunditatem habere, & utilitatem magis afferre, q̃ alienorum. idq; etiã quanto magis uita communis eſt illis, & latius patet. In fraterna porrò amicitia eadem eſſe, quæ in ea, quæ ad ſodalitatem pertinet, & magis in ingenuis, & deniq; in ſimilibus quanto coniunctiores ſunt, et ab ineunte ætate ſe mutuo dilexerint. atque etiam quanto magis moribus ii congruant, qui ex iiſdem orti. & unà educati iiſdemq; præceptis eruditi ſunt. id enim, quod tempus probat, & ratum, & fixũ eſſe oportet. Atq; hæc ſunt prima tanquam ſemina eorum, quæ paulo poſt proferemus. quanquam autem in hac quæſtione Peripateticos potiſſimũ ſequemur, tamen, cum neceſſe fuerit, illos deſeremus, & ad mores, inſtitutaq; noſtrorum temporum declinabimus. Itaq; omnem diſputationem de neceſſitudine ita perſequemur, ut expendamus an in neceſſitudinib. noſtrorum tẽporum tria illa ſint, aut eſſe poſſint, quæ in uera neceſſitudine ſpectari debeant, uirtus, ut res honeſta, conſuetudo, ut res ſuauis, utilitas, ut res neceſſaria. Principio inter omnes conuenire arbitror, amicitiam diuturnam eſſe non

poſſe, niſi illa uirtutis opinione conciliata ſit. At quænā hæc eſt? Certe fortitudo, ut certas quaſdā attingamus uirtutes, in quib. neceſſario eniteſcere deberemus, ſi de amicitia ea loquimur, quam bellica laus parere ſolet. cum enim audierimus imperatorem aut feliciter hoſtes uiciſſe, aut urbē munitam expugnaſſe, nomen illius colimus, cupimusq; in gratiam illius inſinuari. & eo quidem magis, ſi in uictos clementia, et placabilitate uſus ſit. Verūtamen paucos admodum comperias, q ex tali officio fructus ceperint, quos optare uidebantur. imò qdam amici facti iſtorū imperatorum obtrectatióe perculſi ſunt, alij etiam occiſi ab iiſdē imperatoribus. Vidimus Cæſarē Borgiam plurimos ſua manu iugulare, quos ante in amicitiam receperat, homines eius laudis fautores, honorisq; cupidos. Sin autem de fortitudine domeſtica, & ciuili ſermo eſt, quē hodie quæſo nouimus, q ea præditus ſit? & ob quam illi amicus eſſe cogare? Et, ut hinc incipiā, nemo non tenuē cenſum fugit, & diuitias appetit, ut intemperāter illis utatur, nemo non opes affectat, ut in luxu, et uitæ diffluentia uerſetur, nemo nó honores, & uoluptates cupit, ut uel potentiā habeat, uel gaudeat, et ſuas cupiditates expleat. Quæ conſtantia in taliū amicitijs eſſe poteſt? quæ fides? nullus certe eius generis homines amabit niſi is, quem turpiſſimæ uitæ ſimilitudo conciliauit, nemo etiam eiuſmodi amicitiarū nodū amabiliſſimū iudicare poterit, præter illū, q oblitus ſit iiſdem morū, & uitæ ſordibus. Cótra fortes arbitrantur ſi ea nó extimeſcant, quæ extimeſcere oportet, ut infamiā, ignominiam, dedecus. fortes etiā iudicant, qui inopiæ, aut amoris fugiēdi cauſſa ſibi ipſis mortē conſciſcūt, cum ij potius habēdi ſint timidi, quorū propriū eſt ea declinare, quæ laborioſa ſunt, et facta difficilia. Neq; uero neceſſitudinis iura cum eo ſeruāda ſunt, q auiditate inflāmatus ad uoluptates rapitur ſeruiles, & ferinas, quales intemperantes qdā ſunt, gulæ, et cupediæ dediti, quiq; undiq; ſuauitates congrunt, & more pecudū in libidines effundūtur. Beſtiarū enim maxime eſt eiuſmodi res conſectari, illisque plurimum gaudere, cum ad eas non ratione, ſed ſenſu im-

pellantur, cuius proprium eſt ea corpori parare, quæ cupi piditati illius ſatisfaciant. Quinetiam ſerui, & qui in famulatu ſunt uentri plus nimio indulgent, illum'que replent, & quaſi inferciunt. unde ad uenerem procliuitas naſcitur maxima. carent enim iſti liberali educatione, & nihil aliud ſpectant, quàm corporis ſaginam. Dolorem præterea incredibilem ſentiunt, cum id uoluptatis genus aſſeq non poſſunt. quem quidem dolorem ex deſiderio uoluptatis oriri credimus, quæ blandiſſima domina animorũ eſt. Quid loquar de alia parte honeſtatis? quæ in animi excellentis magnitudine, & præſtantia cernitur. Hanc autem pauciſſimi noſtris temporibus obtinere mihi uidentur. nec enim ſe dignos rerum magnarum adminiſtratione oſtendunt, cum ea affectent, quæ procul abſunt ab laude, à decore, ab honeſtate. propterea neque magnis honoribus digni haberi poſſunt. imò optimus quiſque eos ſtolidos, inertes, ac dementes exiſtimat. Quãta autem in perturbatione animi ſtudioſum honeſti hominem uerſari arbitramini cum intellegit ſe neceſſitudine coniungi cum eo, q ſordida uitæ munera obire cupiat, & officijs ſemꝑ fungatur parum ſua exiſtimatione dignis. Quod certe potiſſimum ijs contingere ſolet, qui propinquos habent in altiore honorum gradu conſtitutos. qualis auorum memoria Renatus Neäpolitanus Rex fuit. hic enim pictura maxime delectabatur, & ob eius ſtudium res maximas conficere neglegebat. Illum & familiares, & propinqui reguli admonebant, è dignitate regia non eſſe dies, noctes'que in pingendo conſumere, ſemper'que tabellas contemplari, & de figuratione corporum diſceptare. ad quos reſpondebat ſe non minus pictorem, quàm Regem natum eſſe. At quàm melius conſuluiſſet ſibi, & poſteris ſuis, ſi tantam curam non egiſſet artis illius pulcerrimæ quidem, ſed Regibus nunq̃ admodũ neceſſariæ, profectò ex illo regio ſolio non excidiſſet, nec priuatus in Galliam Narbonenſem nauigaſſet. Platonici noſtri hanc animi excellentiam, & magnitudinem ornamentum aliarum uirtutum eſſe puta-

bant, quibus obſoletis florent Peripatetici eiuſdem ferè adiutores, auctoresque ſententiæ. hi enim cenſent magnitudinem animi ſolere amplificare laudem aliarum uirtutum, neque illam ipſam conſiſtere poſſe, niſi cum comitatu reliquorum ornamentorum. Iam uero quis ferret magnanimos noſtræ ætatis? in quibus ineſt incredibilis cupiditas honorum, quos ſciunt ſibi non tribuere poſſe uirtute prædi tos homines, ſed nequiſſimos, & turpitudine uitæ infames. illis autem magnopere lætantur, ut conſentaneos ſuæ uirtuti, cum tamen uirtuti perfectæ nullus honos dignus haberi poſſit. Franguntur autem leuiſſimo quoque fortunæ reflatu, & ſemper animo abiectiores ſunt, quàm opus ſit, nec poſſunt in rebus ſecundis non magnopere efferri, in aduerſis autem non deprimi. Contemptores etiam aequitatis ſunt, quam nemo ſeruare poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet. Nec intellegunt neminem uere honeſtari poſſe, niſi qui bonus ſit, & alios beneficijs ornet. contra ad accipienda ipſi beneficia parati ſemper, expeditique ſunt. quibus etiam nullam relaturi ſunt gratiam, quandoquidem putant illos beneficium contuliſſe propter ſuæ uirtutis opinionem non propter eorum ipſorum humanitatem, beneficamque naturam. odioſi quoque ſolent eſſe uel cognatis amantiſſimis, nedum alienis, cum beneficia exprobrant, quæ certe commemorare debet is, qui accipit, non is, qui confert. eoq; magis quod magnanimi eſt ſemper amicum promereri, nonnihil autem ipſum ſubpudere, ſi beneficio afficiatur. alterum enim pertinet ad hominem ſuperiorem, alterum ad inferiorem. Idem etiam, cum beneficium remuneratur, maiora confert, quàm acceperit, propterea qu d is, qui prior beneficio prouocauit, inſuper debebit, & beneficio ornabitur. Memoria quoque tenet eos, quos officijs proſecutus eſt, obliuiſcitur autem, à quibus ipſe ornatus eſt. Magnanimus enim ſemper exſtare, & ſuperior eſſe uult, atque cum uoluptate alia referri audit, alia nõ item. Nimis quidem Peripatetici ad uiuum iſtuc reſecant, quandoquidem aſſerunt magnani-

inum obliuiſci oportere eos, quos liberales, & beneficos experti ſint, ut altitudo animi ſemper emineat. Ego uero, exiſtimes licet, quid lubet, cenſeo in omni uiciſſitudine officiorum, & ſtudiorum dandam nobis operam, ut ſemper conſeruemus memoriam eius, qui de nobis quoquo modo bene meritus eſt, & illum non ſolum pari officio remuneremur, ſed etiam maiori, ſi integrum ſit. Omnino magnanimus in referenda gratia Heſiodi præceptum ſeruet neceſſum eſt, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore ſi poſſis. Iniurias potius uolo ipſum obliuiſci, & maleficia illata, quoniam qui illa deſpicit, & hominem etiam deſpicit, qui iniuriam fecit. ita enim intelligitur in culpa is eſſe, qui iniuriam fecit, non qui accepit. propria etiam laus magnanimi eſt, nihil ſtudere, ut alij uexentur, nec ut ipſe laudetur. A' maledicentia quoque abſtinet. propterea quod hominum nullam, aut certe tenuem curam agit, & præſertim eorum, quos ſua uitia puniunt. Ergo neceſſarius, qui idem ſit magnanimus, plurimum ſibi ipſi confidere debet. atque etiam ſic uirtute, & induſtria munitus eſſe, ut paucis egeat, ſuaque omnia in ſeipſo poſita iudicet. Quid? coniunctio non'ne facile dirimitur cum eo, qui nulla lenitate præditus uiuat, quique nec orationi, nec iræ moderetur, nec linguam contineat. Placet tamen neceſſarius, qui iraſcatur amico pro re, qua opus ſit iraſci, modo abſit naturæ iracundæ acerbitas, quoniam aſpera illa admonitio accipienda eſt amico, cum beneuole fiat. Et certe ſeruile eſt, aut aſſentatoris ſuos neglegere, & peccatis amici indulgere, illum'que præcipitem ferri ſinere. Seneca ſi quid auctor iſte ad rem pertinet, ſuorum Stoïcorum duritiam ſecutus damnat in Ariſtotele iræ laudationem, & affectionis eiuſmodi patrocinium, quæ tamen utiliter à natura nobis data uidetur, modo præſcriptio, & moderatio ea retineatur, quam idem ipſe Philoſophus retinendam cenſet, hoc eſt, ut iraſcamur pro quibus debemus, &, ut oportet, et cum debemus, & quandiu. Sin minus fatui, & ſtupidi eſſemus, qui & ſenſu, & dolore uidentur carere. Sed hæc,

ſubtiliter quærere alterius otij eſt. Omnino quorum mo-nitio acerbitate, & obiurgatio contumelia uacat, eorum com motio animi laudanda mihi uidetur. quam certe paucos ſeruare animaduertimus. imo cum improbitatem, per-uerſitatem'que alicuius inſectantur, petulanter nimis id a-gunt, propterea quod ſinunt animum ſuum celerius occupa ri ab iracundia, quàm ratio prouidere poſſit. Patiũtur igi tur cotidie bene morati homines à neceſſarijs odioſam uer-borum aſperitatem, & maledicta, & contumelias, quoni-am uehementiores animi commotiones illi temperare ne-queunt, nec item mediocritatem perſpiciunt ineptæ cuiuſ-dam lentitudinis, & furioſæ iracundiæ. quam quidem me diocritatem neceſſe eſt nos retinere, ſi amicorum ſuauitate, aut propinquorum beneuolentia frui uelimus. Præterea ex maxime raro genere hominum, ac penè diuino eſt ne-ceſſarius is, qui praeſtantiam aut ingenij, aut fortunæ ob-tinens cum ſuis aequabilitatem ſeruet, nec tantum ſibi ſu-mat, ut oſtendat quae habet, ea eſſe maiora, quàm ſint, nec rurſus in aliud uitium incidat, quam diſſimulantiam ap-pellant, ut ſua obtegat, & eleuet, ne amici facultatem habe ant illa petendi, aut inimici quaſi anſam reprehendendi. quin potius laudo hominem ſe ipſum totum patefacientem, & aperte indicantem res, qualis ſit, & confitentem ſibi ineſſe quae ſunt neque maiora, neque minora, eadem'que deferentem amantiſſimis ſui hominibus. Quanquam So-cratem Græci, & Romani Africanum Aemylianum lau-dant, quod uterque in omni ſermone eſſet diſſimulator. at-tamen difficile eſt nunc diſſimulatorem reperire, qui ad ho rum normam res ſuas cum uenuſtate diſſimulet, cum præ ſertim illi hoc uitae inſtitutum ſequerentur faſtus fugiendi cauſſa, non pecuniae comparandæ, quae omnes ferè nunc ad ſe trahit. Rectum quoque eſt alienationem, diſiunctio-nem'que facere cum ijs, qui Cynicorum more uiuunt, etiam ſi nos cognatione attingant. hi enim cum inimici uerecun-die ſint, homines non re, ſed nomine tantummodo haberi debent. Placet igitur neceſſarius qui ingenuo pudore deter-

reatur ab rebus turpiter gerendis, quas praui ſua ſponte obeunt. oſtendit enim ſe ab illis abhorrere timore infamiæ, quæ certe prohibet hominem probum uolũtario ſtudio res agere turpes. Nullũ tamen uitium hodie frequentius cernitur, gratius'que habetur, quàm impudentia in noſtrorũ Sacerdotum aula. creſcatq; etiam illa in dies, & maior efficiatur, quo plures habet, qui illam fouent. Quid? quod magna acceſſio ad tale uitium facta eſt poſt, quàm patrum memoria in Italia conſtitutum eſt regnum Exterarum gentium, & in hanc Vrbem pulſi à ſuis Regib. concurrerunt ex ultima Hiſpania, quidam ementitum Chriſtianorum nomen habentes, quos plebeia uoce Maranos dictitant. hi enim diuturna ſeruitute Regum Bethycorum, & aliorum Mauritanorum, qui uſque ad noſtram aetatem in Hiſpania regnarunt, ad nimiã ſunt eruditi aſſentationem, quam perpetuam comitem impudentiæ ueteres exiſtimabant. quan quam uideo primum emanaſſe hanc labem à Clemente. V. Pont. Max. nam cum Põtificijs comitijs illius abſentis ratio habita eſſet à ſummi ordinis Antiſtitib. qui Peruſiæ erant, primus tantum honorẽ adeptus Romanas opes, latinosq; Sacerdotes in Galliam ulteriorẽ traduxit. primus res ſacras, & negotia tum publice, tum priuatim ad religionem pertinentia Auenione tranſigi uoluit. ac propterea auctor fuit, ut Sacerdotes, et Sacerdotum adsĕclæ prauis aulicorũ Galliae morib. inficerentur, & toti ad profana inſtituta delaberentur, nec ullum ad integritatem, ad fidem, ad pudorẽ, ad modeſtiam, ad religionem reſpectum haberent. Di genus iſtud hominum mortuum perdant, qui in Italos noſtros tantum uitae turpitudinem ingenerarunt. Et certe genus orationis tam maledicum nõ uſurpaſſem, quod ſcitis quam exſecrari ſoleam, niſi hanc perſonam, & has partes honorib. Pontificum Maximorum, & Italorum ornamentis mihi tributis deberem & poſſem ſuſtinere. atque etiam tacentibus cæteris facile ipſe etiam nunc reticuiſſem, niſi compreſſam diu patientiam, & modeſtiam rei indignitas me coëgiſſet allidere, tantumq; acerbitatis, cui concoquendæ aptus nõ

eram, effundere in peſſimũ hoc genus hominum, qui ut primũ ferè in lucem ſuſcipiuntur, et hoc caeleſti ſpiritu augeri incipiũt, ſe in Italia ortos eſſe obliuiſcuntur, et deínceps qđ illius dignitas poſtulet, non uident, & maiorum nomen, ſacra, memoriam ueterum, patriæ gloriam, religionis decus, & illuſtrium uirorum monimenta ſuis flagitijs euertunt. Sed hæc aliâs pluribus, nunc ad propoſitum reuertamur. Celebrantur quidem multa dicta Pythiädos filiæ Ariſtotelis grauiſſima, ut appareat eandem ipſam nó tam in gremio educatam, quàm in ſermone patris; quo nemo unquam fuit uel acumine præſtantior, uel feſtiuitate, & lepore politior, uel ſuauitate códitior. Ex illis autem id etiam accepimus. Nullum eſſe pulcrius coloris genus in facie hominis ingenui, quàm id, quod ob uerecundiam superueniret. Muſonij quoq; recentium Stoïcorum longe clariſſimi eulogium eſt, hominem uenerationem ab alijs facile conſequi poſſe, ſi ſe ipſum primum uereretur. Atque huiuſce rei fructum, nam uerecundiam inter uirtutes non recipit Ariſtoteles, expreſſit Theophraſtus alio tamẽ ſenſu, cum dicat, te ipſum uerecor, & alium non uerebere. Hæ ſunt præcipuæ uirtutes, ad quarum planè ſonum animi obſorduiſſe uidentur neceſſariorum. loquor autem de ijs neceſſarijs, qui ante oculos ſunt, quos uidemus, aut de quibus recentem memoriam accepimus, aut quos nouit uita communis. in iſtis enim raro uirtutis decus ineſt, è quo honeſtatis lumen appareat. Suauitas autem in cóſuetudine condimentum eſſe neceſſitudinis ueteres indicabant. Sed uideamus etiam quemadmodum illa frui poſſimus. Primum illa aut ex pari, mutua'que beneuolentia oritur, aut ex communitate ſtudiorũ, uoluntatum'que ſine ulla exceptione, aut ex ſermone, qui urbanitate redundet, & ſale, ac lepore affluat. Quis hodie quæſo eſt, à quo hæc ſeparatim, aut coniunctim exſpectari poſſint? omnes enim tandiu ſe beneuolos oſtendunt, quoad fructum aliquem ex ea beneuolentia ſe percepturos confidunt. omnes adulationib. blanditijs, & aſſentationibus ſtudent, & in congreſſionibus, conuictu'que, et ſermonib.

*nib. familiaribus blandi ſunt, uoluptatem'que aucupantes
omnia laudant, nulli rei repugnant. atq; interim ſiſſicam-
tur ſe nemini fore moleſtos, ſi ad uoluntatem loquantur
omnia, nihil ad ueritatem. Hoc quidem neceſſariorum uene
num eſt maximum, quo tamen multos infectos animaduer-
tas. nec uero id accideret, ſi perſpicerent quanta mala eiuſ-
modi uitium importare ſoleat. Iucunditas igitur in neceſ-
ſarijs illa expetenda eſt, quam comitas gignit, illáque tum
ſine dubio fruemur, cum ſenſerimus eoſdē ipſos laudare no
ſtra, ut oportet, nec nimis effuſe, nec nimis parce, atque eti-
am è noſtris rebus ea accipere, quae accipienda ſunt, &
quo modo par eſt, & ſimuliter non probare delicta. quin
ea obiurgare. quod quidem cum alij efficere debent, tum
maxime qui aut excellentis ingenij magnitudine, aut prae-
clara eruditione, atque doctrina, aut utraque re ſunt orna
ti. ita enim in honeſtioris uitae perpetuitate conſiſtent, in ue
roq; neceſſitudinis officio non claudicabunt. Enimuero ex-
pertes omnis humanitatis eſſemus, ſi in priuatum amicum
perinde illudere uellemus, atque in Tyrannum. qui ſanè
aures obſtructas ueritati habet, quique cupit animos fami-
liarium ſuorum ſemper conuerſos eſſe non modo ad ſen-
ſum ſuum, ac uoluntatem, ſed etiam ad uultum, atque nu-
tum. Ne multis. triſtitia in coniūctione ita euitabitur, ſi quoti
eſcunque congrediemur cum magiſtratibus, aut cum priua-
tis, aut cum minus magisue neceſſarijs ea tribuamus, quae
aequa ſint, & nonnihil ſtudeamus delectare, repulſa ta-
men moeſtitia. nec interim laboremus de honeſto, & utili,
quoniam id forſitan conſequetur. quanquam oportebit ali-
quando, aculeum etiam quēdam moeſtitiae defigere, quo ma
ior aliqua uoluptas inde oriatur. propterea dulciores ne-
ceſſitudinis fructus erunt, ſi acerbiuſculi quandoq; praeceſſe
rint. quāquam Demonacta Cyprium Lucianus eius uitae
ſcriptor laudat, quod nunquam altiore uoce cum amicis ege
rit, uel incompoſitos geſtus ediderit, uel in grauiorem indi-
gnationem eruperit, etiam ſi obiurgare oporteret. ſed pecca
ta tangebat, & peccantib. ignoſcebat. atq; huiuſce rei exem*

plum à Medicis petendum eſſe cenſebat, qui morbos leuant, & interim nulla grauiore uerborum acerbitate in affectos utuntur. & eo quidem magis, quod hominis ſit peccata committere, Dei autem, uel hominis Deo paris peccata corrigere. Sed nos Ariſtotelem correctione quadam adhibita ſequimur. Omnino ſuauitas illa gratior erit, ſi libertate cõdita ſit, ac facilitate, cum præſertim inter omnes conſtabit nos medium ſic ſequi, ut extrema illa caueamus, in quibus uerſantur placidi, ſiue blandi, et aſſentatores. alteri enim uoluptati ſtudent nullius emolumenti cauſſa, alteri tantũmodo ſui. Quã ob rẽ manſuetiſſimi eſſe debent neceſſarij in ſuis morib. declarandis erga amicos, & propinquos, quod facile aſſequentur, ſi cogitauerint quietem eſſe neceſſariam uitæ, atque in illa ipſa oportere homines ioco ſe recreare tanquam feſſos labore in peropportuno diuerſorio. Talis autem congreſſio dulcis ſit, ac æquabilis, eaque fiat ad triſtitiam mitigandam, penitus'que leuandam. nec aliter ſermo habeatur niſi audiendo, & dicendo quæ oportet, & quo modo par eſt. E communitate autem hominum, nedum è neceſſitudine exterminari uelim eum, qui profuſa dicacitate beneuolentiam conciliare ſibi ſtudet audientium. hoc enim Mimorum erat ueterum, & Ethologorum, qui nihil præſtabant ingenuitatem, et ruborem turpitudine uerborũ, & rerum obſcœnitate, aut certe ſcurrarum, qui profitentur neq; ſibi, neq; alijs parcere, modo riſum moueant. propterea interdum ridiculo dant manus, uinciq; ſe patiũtur, atq; illa effundunt, quorum urbanus non modo non quicquam diceret, ſed ne audiret quidem. nihil etiam laborant, an is doleat in quẽ cauillati ſunt. Afferẽt igitur ſuauitatem neceſſarij, ſi moderate dicta uſurparint, quæ ſale aſperſa ſint, comesq; etiam habebuntur, et uenuſti. Et certe eiuſmodi, ut ita loquar, corporis, & animi motiones ſignificationẽ dant morũ quẽ quidẽ mores ſimiliter, ac corpora motionibus diſcerni põt. Itaq; elaborare in eo ſtudio neceſſe ẽ, ut libẽter tũ dicamus, tum audiamus, quæ ad modeſtũ uirũ, liberalẽq; ptinent, quæ multa incidere poſſint in cõgreſſibus noſtris, et cõſuetudine uictus.

uictus, proborumq́; hominum ſermonibus, quæ decent audire etiam per iocum dicta. Non nimis tamen ſtudioſum iocorum eſſe oportet, quãdoquidem difficile eſt moderationem ſeruare, ne ad licentiam delabamur iocorum frigidorum, & planè ſeruilium, quos etiam damnamus in ueteribus comicis. Denique ſuauitatis uſus ex neceſſario tum nobis cõſtabit, cum ille intellexerit ſe eſſe debere ſibi ipſi tanquam legem quandam in iocando, & ſalibus facetijsq́; utendo, ne amicos uulneret, quos caros habet, ne in calamitoſos illudat, qui ſubleuandi potius ſunt, quàm irridendi, niſi forte ſe immoderatius iactent. Huiuſce quidem ſuauitatis exps eſt magna pars Barbarorũ. hi enim in conſuetudine aut penitus inſulſi ſunt, & illepidi, aut ſubmoleſte ferunt, ſi audiant aliquid facete dictum, & ioco, riſuq́; eluſum. id, quod agreſtes facere ſolent, & homines ab urbanis inſtitutis, & moribus abhorrentes. Neque uero intellegunt, quàm ſit aptum uitæ eſſe cum uiris facetis, & iucundis, & quàm conferat ad remiſſionem animorum elegantiam dictorum ſequi, & urbanos, feſtiuosq́; homines cõplecti. Exiſtimabat Cicero ſuo etiam tempore minus Romæ ſe poſſe agnoſcere imaginem antiquæ, & uernaculæ feſtiuitatis, quod in illam infuſa eſſet peregrinitas, quod'que maxime receptæ eſſent brachatæ, & transalpinæ nationes. uidebantur enim iſtæ ipſæ nationes homini uere Romano nõ ſolum carere omni feſtiuitatis laude, uerum etiam alijs impedimento eſſe, quominus illam agnoſcere, & conſequi poſſent. Quid ucs cenſetis eum dicturum fuiſſe, ſi nunc reuiuiſceret? & uideret Romam ſuam? quæ nullo alio modo celebris eſſe poteſt, niſi ex concurſu talium Sagatorum, & Brachatorum, & aliorum eiuſmodi prouincialium. Certe hominem magnopere moueret miſerabilis patriæ aſpectus, cum magna illius pars habitatorib. careat, & ſitu obſita ſit, ædificiaq́; ſacra, & profana fœde diſiecta occurrant, & maxima domorum uaſtitas, & cœnoſa, ac ſqualida uiarum facies appareat, & ciues ob partium ſtudiũ communem ſalutem, et Italiæ libertatem neglegant. ſed omniũ maxime illum cre

do perturbarent ineptiæ quorundam, qui omiſſo ſtudio ue teris linguæ, quæ eadē huius Vrbis, et uniuerſæ Italiæ pro pria erat, dies, noctes'que incumbunt in linguam Geticam aut Dacicam diſcendam, eandem'que omni ratione ampli= andam, cum Goti, Visgoti, & Vandali, qui erant olim Ge tæ, & Daci, eam in Italos inuexerint, ut artes, et linguā, & nomen Romanum delerent poſt, quàm Romanis etiam imperiū ademerant. In Bybliotheca noſtra aſſeruatur li ber incerti auctoris græce ſcriptus de reb. à Gotis in Italia geſtis. in eo memini me legere Attilam Regem poſt partam uictoriā tum ſtudioſum fuiſſe Goticæ linguæ propagandæ, ut edicto ſanxerit, ne quis lingua latina loqueretur, magi= ſtros'que inſuper è ſua prouincia acciuiſſe, qui Italos Goti= cam linguā edocerent. Apud doctos etiam illos uiros, qui commentarios rerum multarum confecerunt, eosque in Su= dæ nomine ediderunt, obſeruaui ſcriptum, illū ipſum At= tilam poſt Italiam fœde uaſtatam cum Mediolani ui= ctor eſſet, pictos uidiſſe Principes Romanos in aurea ſella ſedentes, & ante illorū pedes multos Scythas interfectos, tum iuſſiſſe, ut ſe pingerent in ſolio ſedentem, & Principes Romanos ſaccos, & arcas auri plenas baiulantes, illudq; ante ſuos pedes effundentes. Ergo Attila in Romanos gra uiter ſæuijt diſturbandis Italiæ Vrbibus, cædendis Italis, agris comburendis, demoliendis templis, latinam linguam obliterando, picturam inſolentis, ac ſuperbi argumenti proponendo. Hæc qdem tolerabilia. nam uictoriæ, & ar= morum ſunt. ſed quis ferat poſt Romam ſuis ciuib. & Ita liā ſuis principib. magna ex parte reſtitutam exſiſtere Ita los? qui patiantur Goticam, & Vādalicam linguam inole ſcere, illam celebrent, & ueteri latina ſi Dis placet, potio- rem eſſe dicant. Hæc hactenus, ad alia progrediar, meq; ad meum munus, penſum'que reuocabo. Laurentius Pa- ter omni genere leporis excellebat, ac propterea iucundus amabilis'que erat omnibus tum priuatis, tum principi- bus. Ferdinandus maior Neāpolitanus Rex honorifice excepit eum in portum Neāpolitanum egreſſum. Deinde

cum homini

cum homini ſuaderet, ut equũ cõſcenderet, q̃d nauigationis tædio eum magnopere commotum uideret. Mihi, inq̃t, bone Rex equo opus non eſt ad leuandum tædium nauigationis, ſed ad afferendum ciuibus meis nuntium de ſalute patriæ. Neäpolim enim uenerat, ut æquiores conditiones pacis impetraret à Ferdinando, qui Alphonſum filium habebat cum uictore exercitu iam circunſidentem Florentiam. Multa etiã alia eiuſdem ipſius dicta celebrantur admodũ ſalſe pronuntiata, quæ omnino indicant diuinum illum uirũ urbanitate, & politiſſimus facetijs longe præſtitiſſe æqualibus, & ſuperioribus omnibus. Nec ſane id mirum cuiquam uideri debet. ſiquidem genus iſtud iocandi magna ex parte ducitur ſiue ex admirabili natura, ſiue ex præclara doctrina, ſiue ex inſigni eloquentia, ſiue ex magno rerum uſu. quarum laudum excellentia cum ille floreret, elegantiſſimus, ac feſtiuiſſimus ſemper eſt habitus, diuq; præfuit Florentiæ, & urbanis eodem tempore, & bellicis rebus. IVL. Nunquam certe de ſuauitate hominum tam ſcienter, tam'que copioſe diſputares, niſi unus omnium ſuauiſſimus, uenuſtiſſimus, et dulciſſimus eſſes. Quid? quod uideris tãta comitate excellere in unoquoq; cõplectendo, ut omnes huiuſce rei quoq; palmam, quemadmodum cæterarum tibi deferant. Paterna etiam laus in iocando in te eniteſcit. nam cum primus rationem habes hominum, rei, temporis, nequid iocus de grauitate decerpat. hunc autem mira hilaritas comitatur, quæ ſingularem bonorum omnium beneuolentiam tibi conciliat. LEG. Mirabiliter lætor me iudicari dignum beneuolẽtia hominum ex hac ipſa hilaritatis laude, quam natura mihi peperit, & uoluntas confirmauit, non ex aſſentatione, quæ quidem bonis intolerabilis eſt, cum ad illius uanitatem acceſſit auctoritas. Iam uero quantum illud eſt, quod aſſentator à uero amico diſtingui, & internoſci tam poteſt adhibita diligentia, quàm omnia fucata, & ſimulata à ſynceris, atque ueris. Denique magis iudicio bonorum, quàm inſignibus gloriæ delectari debemus. IVL. Hæc uox multa tibi in ore eſt, illaq;

*doces non ſolum fugiendam eſſe inanem gloriam, ſed eti-
am utilitatem, quæ aliquando gloriam conſequi ſolet.*
LEG. *Illiberalium artium ſtudioſi emolumentum ſpe
ctent neceſſe eſt, ſacerdotes, religionis decus. Quam ob rem,
cum uideam non ſæpe in neceſſarijs etiam eſſe hanc bene
merendi uoluntatem, adducor, ut exiſtimem illos quoque ca
uendos eſſe, ne doleamus, cum incommodis noſtris rebus
nullum ab illis affertur præſidium, maximeq; ſi illorum fi
dem, & opem implorauerimus.* Et *certe conſentaneum eſt
in rebus tam triſtiſſimis, quàm florentiſſimis neceſſarios
adeſſe. nam qui aduerſa fortuna conflictatur, ſubleuari ex-
petit, & qui ſecunda fruitur aliorum indiget, quibuſcum ui
uat, & quos beneficio ornet, ſi uolútatem ad officium pro-
penſam habet.* Veruntamen *in duriore fortuna magis illi
expetendi ſunt, modo utiles ſint. quanquam in rebus pro-
ſperis honorificentius quodammodo eſt bonos habere, quos
officijs proſequare, & quibus uſu domeſtico coniungare.*
In *utraque etiam fortuna neceſſarij aſpectus iucundus
eſt. ſecundas enim res ſplendidiores facit conſuetudo neceſ-
ſariorum, & aduerſas leuiores, quod homines ſentiant do-
lorem imminui ſuum, ſi æquè dolentes alios uiderint.* Acce
*dit etiam, quod neceſſarius conſolationem afferre poteſt aſpe
ctu, & uerbis. dummodo is eſt, qui induſtria ualeat, & di
cendi facultate ea præditus ſit, qua nec amici animum de-
biliteri, nec cadere ſinat.* Quotus *autem quiſque eſt? qui
uerſetur in ſtudio cognoſcendi uoluntatem, & mores alte-
rius, ut poſſit illum miſerum in maximis ſuis erumnis,
& luctibus ad tranquillitatem animi traducere. quanquã
ſapientes animo præſenti ſemper eſſe oportet, & excelſo,
altoq;, & uirtutibus exaggerato. ita enim cauebunt ne ne-
ceſſarij ſecum doleant. eoque magis, quod proprium illo-
rum uirtutis eſſe ſtatuimus abhorrere à plorantib. ſimul, &
mœrentibus, quandò mulierculárum eſt proclinitatem ad
luctus habere, & gemitus.* Nec *etiam facile reperias, qui
rebus ſuis florentiſſimis neceſſarios ad ſe uocent, quod fe-
rè indicent illos indignos, qui ornentur, niſi paribus uita*

impuræ uitijs teneantur. Contra ad afflictos, ac erumnoſos neminem uideas accedere, cum tamen uerus amicus ultro debeat ſe conferre ad alium, qui in miſera, ac perdita eſt fortuna. Enimuero ad hominem ſecundis rebus utentem properandum eſt, ut operam noſtram deferamus ad fortunam iuuandam, tarde autem accedendum, ut commoda noſtra augeamus. nec enim decet utilitatis ſuæ cauſſa properare. Homines tamen noſtris tẽporibus ita affecti ſunt, ut quiſque ob priuatum compendiũ honeſtum putet ad amicũ adulare, ut ſuas facultates, copias, opes amplificare poſſit, uel ſpolijs eorum, quos ſumma neceſſitudine attingunt. Omnino pauci habentur, qui ueræ beneuolentiæ, & germanæ caritatis ſolidam expreſſam'que effigiem teneant, umbra, & imaginibus tantum utuntur. utinam eas ipſas ſequerentur. Moleſtum igitur nimis eſt tantis neceſſitudinibus implicari, maxime'que ſi illæ ob utilitatem inſtituantur. multorum enim inopiam leuare uidetur eſſe non humanæ facultatis, ſed diuinæ, quoniam uix priuati facultates ad id ſatis eſſe poſſunt. Quod ſi propter uoluptatem conciliatio fiat, nimirum pauci admodum uoluptati hominum hoc in genere ſatisfacere poſſunt, ut in ſolennibus epulis condimenta. Tales autem facile ius amicitiæ deſerũt, & familiaritatem extingunt, quoniam aut pocula, aut pila, aut teſſera, aut res alia illiberalis conciliatrix fuit. In foro etiã conciliatæ amicitiæ nõ diuturnos fructus ferunt. de ijs loquor, quæ inter cauſſarum patronos intercedere ſolent. alter enim alterum intuetur tanquam exemplar ſuæ rapacitatis, aut certe aduerſarium, & obtrectatorem laudum ſuarum. Clientes itẽ ferè ſemper inuiſos habent eos, quorum induſtria, & eloquentia cauſſam obtinuerint id quod Marco Tullio contigiſſe legimus. quanquam ille patrocinium ſuum non magnopere uenale habuit. ante, quàm igitur in exſilium iret hæc ad Atticum ſcripſit. Ita ſum, inqt, deſtitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. nam illæ ambitioſæ noſtræ, fucoſæque amicitiæ ſunt in quodam ſplẽdore fo-

renſi poſitæ, fructum domeſticum non habent. itaque cum bene completa domus eſt tempore matutino, cum ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, qui cum aut iocari libere, aut ſuſpirare familiariter poſſimus. quare te exſpectamus, te deſideramus, te etiam arceſſimus. Multa ſunt enim, quæ me ſolicitant, & angunt, quæ mihi uideor aureis nactus tuas unius ambulationis ſermone exhaurire poſſe. Sed nihil etiam minus idem Cicero perfidiam multorum amicorum eſt expertus, poſt, quàm ad Pompeium acceſſit. contra Cæſarem bellum gerentem. in Vrbem igitur reuerſus Planco rem totam his uerbis explicat. Quod autem, inquit, mihi de eo, qđ egerim, gratularis, ita te uelle certò ſcio. ſed ego tam miſero tempore nihil noui conſilij cepiſſem, niſi in reditu nihilo meliores res domeſticas, quàm Remp. offendiſſem. quibus pro meis immortalibus beneficijs cariſſima mea ſalus, & meæ fortunæ eſſe debebāt, cum propter eorum ſcelus nihil mihi intra parietes tutum, nihil inſidijs uacuum uiderem, nouarum me neceſſitudinum fidelitate contra ueterum inimicorum pfidiam muniendum, putaui. Reſtat aūt locus huic diſputationi maxime neceſſarius de ſtudioſorum amicitia, quo exſiſtit controuerſia, an multiplex ſit illa inſtituenda. Eqdē aīaduerto nōnullos cenſere talium amicorum numerum præſcriptum eſſe oportere, ut ciuium, qui Vrbem incolunt, quandoquidem ciuitas neque ex decem hominibus, neque ex decies centenis milib. conſtat. alteri enim uix domum conſtituerent, alteri prouinciam ualde populoſam efficerent. Verum id aſſerunt etiam, certum quendam numerum non deſcribi in ciuitate conſtituenda, talem'que eſſe illum, quem medium interponunt inter numeros præfinitos, propterea iudicant amicorum copiam præſcriptam eſſe debere, eamq; paulo maiorem, qua & uictus conſuetudine delectemur, & domiſticis officijs cō iungamur, quoniam iſtuc tum amabile uidetur eſſe, tum maxime cum amicitia conſentaneum. Sed ut aliquando orationem concludam meam, fieri non poteſt, ut quis fide opti-

ma unà cum multis uiuat. Accedit etiam, quod communitas illa uitæ, & uictus diuturna eſſe nequit, niſi ex conſenſu naturæ, & morum conuenientia proficiſcatur. id, quod in multis perdifficile eſt. quædam enim alijs iucunda ſunt, alijs mœrorem afferunt. Itaque ſtabilitas neceſſitudinis eorum non uacillabit, qui totidem parauerint ſibi amicos, quot idoneos fore cognouerint ad communem uitam liberaliter agendã. res enim magni negotij eſt, multos amare. propterea à multis etiam redamari difficile eſt. Quanquam autem conſtat omnium rerum, quas ad beate uiuendum natura nobis comparauerit, nihil eſſe maius, nihil iucundius neceſſitudine ſtudioſorum, tamen ex omnibus ſeculis uix duo paria neceſſariorum apud latinos commemorantur, quinque apud Græcos. atque id mihi mirum uidetur, quod eiuſmodi quaſi ſanctioris neceſſitudinis uincula inter duos tantummodo fuiſſe dicuntur. Apud latinos quidem inter Africanum, & Lælium, M. Tullium & Atticum. ſed apud Græcos inter Theſeum, & Pirithoum, Achillem, & Patroclum, Phintiam, & Damonem, Epaminondam, & Pelopidam, Oreſtem, & Pyladem. atque hos duos fictæ ueterum fabulæ declarant amicitiæ gloria longe alijs præſtitiſſe. Itaque memoriæ proditum eſt Scythas illis templum conſtruxiſſe, & diuinis honoribus nomen eorum ipſorum celebrare ſolitos. Columnam quoque æneam erexiſſe, in qua inſcripta eſſent praeclara utriuſq; facta. puerorum quoque teneras mentes prima inſtitutione formari earum rerum, quas uterque pro altero geſſiſſet. Neceſſitudo igitur ſtudioſorum, qui pauci ſint, augetur ex conſuetudine, eaque in dies honeſtior efficitur. ſiquidem unà uiuentes multa liberaliter agunt, & ſiquid deliquerint inter ſe caſtigant, ſeligunt'que interim, id, quod maxime uerum compererint. Sed, ut dixi, paucos eſſe oportet, quia naturæ propémodum repugnare uidetur, nos poſſe tenere in anguſtis, ut ita loquar, domo magnos neceſſariorum greges ueri amoris conſpiratione conſentienteis. & eo quidem magis q̃d multis ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi

uelis quibuſdam obtenditur uniuſcuiuſque natura. Addo illud etiam, ex parua ſtipe nec multos ſeruos, nec multos amicos parari poſſe. Et quæ nam eſt ſtips, & pecunia amicitiæ? Beneuolentia, & caritas, & gratia cum uirtute. quibus quidem rebus nihil rarius habet natura. unde non licet multos amare, & à multis mutuo amari. Et certe, ut flumina in multos riuos diducta, minora fluunt, ſic animus in multorum amorem, & ſtudia diſtractus facile obtunditur. Turpe autem eſt in propinquos immoderatius ſe gerere, ſi illi fratres, aut filij ſint, cum præſertim qui talia committunt, ſimiles uideantur ineptis colonis, qui ſuis agris omiſſis alienos colendos ſuſcipiunt. Præterea impij, & in numero potius ferarum, quàm hominum habendi ſunt qui eodem loco fratres non habent, quo ſeipſos, & in illorum inuidiam quicquam aut loquuntur, aut agunt, aut meditantur. Etenim qui fratrem odit non poteſt non patrem odiſſe, qui eum procrearit, & matrem, quæ pepererit. Hanc raram fratrum gratiam in alijs conſpicatæ Apollonis Cyicena Eumenis Regis mater fertur Dijs gratias agere conſueuiſſe, atq; ſeipſam fortunatam exiſtimare, nõ ob id ſolũ quod magnas opes poſſideret, & ampliſſimo regno imperaret, ſed ẽt quod tres filios Attalum, Philetærum, & Athenæum uideret cingentes latera Eumenis natu maximi, & eundem ipſum in medio illorum gladios, & pila habentium ſine timore uerſari. Quin etiam miræ pietatis exemplum Attalus in Eumenem fratrem dedit. cum enim Perſeus Macedoniæ Rex capitali odio diſſentiret ab Eumene Rege, cognouiſſetq; illũ Delphos petere, diſpoſuit armatos, q eundẽ ipſum è naui egreſſum opprimerẽt. atqui hi cum Regis imperata facientes magnum lapidum numerum in eum conieciſſent, profugerunt, rati illum interfectum eſſe. nam hominem in teram collabentem uiderant. Pergamum interim affertur Attalo de morte fratris. tum ille & Rex declaratur, & Stratonicen, quæ fratri nupſerat, uxorem ducit. Sed poſt, quàm audiuit fratrẽ uiuere, illumq; Pergamũ aduentare, inſignia regia depoſuit.

*atq; priuatus, ut ſolebat, in ſatellitum comitatu Regi obuiā
prodijt, qui quidem Attalum comiter excepit, priſtinamq́;
uxorem complexus illam in magno etiam honore apud
ſe habuit. Quinetiam cum Eumenes ſine ulla fraterni ſcele
ris ſuſpicione moreretur puerū regium, et regnum, & uxo
rem fratri commendauit, q non multo poſt purpurā, et inſi
gnia regia eidē puero detulit, Regēq; ſalutauit. Et certe pro-
bi filij non ſolum propter parentes diligunt ſeipſos, ſed eti
am propter ſeipſos, quippe qui cogitent ſe cum multa bene
ficia parentib. debeant, tum id praecipue, quod pretioſiſſi-
mam omnium, & iucundiſſimam fratrum ſupellectilē ab
illis conſecuti ſint. Lacedæmonij qdem nullū genus honoris
omiſerunt, qđ in Caſtorē, et Pollucem nō congeſſerint. itaq;
ſtatuas illis poſitas Docana, ut Plutarchus ait, appellabant,
haec aūt duo ligna erant pari magnitudine expolita, quæ
etiam duobus incuruis connectebantur lignis. indicabant
enim talium lignorū argumento q̃ mutua eorum fratrū fu
iſſet pietas, quanta concordia, quanta uirtutum omniū ſimili
tudo. Fabulātur etiā Pollucem talitro ſiue pugno facto quē-
dam exanimaſſe, quod fratri apud ſe obtrectaſſet. Pater
autem uoluntatem in filium propenſam ſemper habere
debet, nec unquam ſtudium illius ornandi intermittere.
atque eo accuratius id faciet, quo magis intellexerit filium
ad ſibi obſequendum comparari. aliquando tamen patrem
ſuum erga filium amorem diſſimulare uelim, præſertim ſi
illum ſuis præceptis minus obtemperantem uideat. nam fi-
lij contumacia fortaſſe tum frangetur, cum paterna indul-
gentia deſierit, & facilitas. Ariſtippo filiū à ſe arcenti, uxor
conſpicata, ſatin' ſaluæ, inquit, ex te eſt. Tum ille deſpuens,
quanquam, inquit, ex me eſt, nihil tamen me ornat. Sed hic
nimis proceſſit. Enimuero neminem hoc errore duci oportet,
ut ſiquid Socrates, aut ille ipſe Ariſtippus contra morem,
conſuetudinem'que ciuilem fecerint, locuti'ue ſint, idem ſibi
arbitretur licere. magnis illi, & diuinis bonis hanc licenti-
am conſequebantur. Noſter etiam Iſocrates praecipiebat
Demonico, ut periucundus omnibus occurreret, & optimo*

quoque familiariter uteretur, quandoquidem alteris non moleſtus, alteris carus futurus eſſet. Item ut cum iiſdem hominib. neque perſæpe congrederetur, neq; de iiſdem reb. longiores conferret ſermones, quoniam ſatietas in omni genere exoriri ſolet, atque etiam ut neminem ſibi conciliaret amicum, niſi ante exploraſſet, quemadmodum priores tractaſſet amicos, quod ſperaret illum in ſe talẽ futurum, qualis in alios fuiſſet. Iubebat etiam, ut tardius in gratia ab aliquo ineunda eſſet, ſed initam tueretur. æque enim illiberale eſſe omni carere amico, ac pleroſque mutare amicos. Præterea ne amicorum fidem experiretur cum detrimento, neue amicorum expers eſſet. hoc autem ab illo tum fieri, ſi inopiam ſimularet. Praecipiebat etiam ut res, quæ dicendæ eſſent, perinde cum amicis communicaret, ac illæ reticendæ eſſent, quoniam ſi id, quod optabat, nõ impetraſſet, neminem laederet. ſin autem impetraſſet, magis illorum mores perſpexiſſet. atque etiam ut amicos probaret ex afflicta fortuna, & communione periculorum in uita, quoniam ut aurum igni probamus, ita amicos in afflicta fortuna diſcernimus. Admoneatq; illũ ita recte amicis uti poſſe, niſi preces illorum expectauerit. quin potius ipſe ultro opportune præſto iiſdem ipſis fuerit. & ſimiliter turpe illũ arbitrari debere uinci inimicorũ maleficiis, atq; amicorum beneficiis ſuperari. Item ut eos amicos magis ſibi adiungeret, qui non ſolum triſtiſſimis noſtris reb. dolerent, ſed etiam florentiſſimis non inuiderent, quod multi exſiſterent, qui etiam ſi participes doloris eſſent, inuiderent tamen praeſtanti, florentique amicorum fortunae. atque etiam ut apud præſentes amicos abſentium amicorum crebram faceret mentionem, ne abſentes uideretur neglegere. Haec de amicitia præcepta ab oraculo Apollinis Pythii, non ab Iſocrate edita Demonico ciui ſuo credere par eſt. Demonico, inquam, adoleſcenti, & tum primum Remp. capeſſenti, & ciuilis uitae munera in oculis populi Athenienſis obire incipienti. ſed maxime pertinere uidentur ad uniuſcuiuſque ætatis & patriæ, & ordinis homi-

ues, cum præſertim late pateant omnia, quæ ab hoc diuinæ uirtutis, & eloquentiae homine excogitata ſunt uel ad rectiſſima, atq; honeſtiſſima ſtudia diſciplinarũ pſequenda, uel ad uirtutis decus amplectendũ, uel ad remp. ſapiẽter gubernandã, uel ad humani officij, & diuinae religionis rationem colendam. Eſt etiam illa Platonis uera, & nobis non inaudita uox, neceſſarios fieri conciliatore Deo, & diuini numinis ductu, propterea ſi illi uiolentur, diuinum quoq; numen uiolari. Hactenus mihi uideor de neceſſarijs, quid ſentirem potiſſimum dixiſſe. ſiqua præterea ſunt, credo autem eſſe multa, ab ijs, ſi uidebitur, petitote, qui præcipuo conſilio ducti eiuſmodi rerum tractandarum iuſta uolumina confecerunt. IVL. Petemus quidem per otium, ſed iſthæc tua nunc inſtar nobis erunt omnium ferè, quæ in aliorum ſcriptis legi poſſint. atque etiam poſthac remiſſius, & placatius feremus patriæ deſiderium, & rerum cariſſimarum orbitatem, quandoquidem oratione tua nos ab omni propémodum moleſtia uindicaſti.

LEG. Iam tum, cum ad dicendum ſum aggreſſus, animo, & cogitatione proſpiciebam uos in hac perturbatione temporum perditorum toleranda ea mente eſſe futuros, quam ratio, et ueritas præſcriberet. Nec ſanè tantum operæ, ac temporis poſuiſſem in redigendis præceptis ad quadram de exſilio fortiter perpetiendo, niſi opinio, & ſpes, & coniectura noſtra tuliſſet Iuli, te nihil contentioſum fore in cauſæ meæ equitate agnoſcenda. De Laurentio autem nunquam dubitaui, quin ex noſtra præceptione publicam cladem, & domeſticas tricas non modo fortiter, ſed libenter etiam laturus eſſet. LAVR. Te iam pridem mi Patrue conſtitui ad cuius exemplar meos mores, ſtudia, & animi motus formarem, & uitæ inſtitutæ quaſi delinearem. Itaque omni in genere uoluntatem ſequar tuam, maximas'que gratias nunc & habeo, & ago tibi, qui in communicandis tam præclaris rebus me eodem loco habuiſti, quo Iulium patruelẽ. LEG. Amoris quidem tibi primas defero Laurenti, cum à frater=

no amore diſceſſi, id'que iure. nam omnia, quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere poſſunt, ex te mihi accidunt. Quid? quod te aſpiciens Petrum fratrem mihi aſpicere uideor. Petrum, inquam, ſuauitate mihi aequalem, obſequio filium, conſilio parentem, denique effigiem morum, induſtriæ, uirtutis, & animi paterni. Vtinam Deus ad hæc tempora illum ſeruaſſet, melior profectò eſſet rerum Italicarum ſtatus. nam ſine dubio multos Italiæ populos, & Principes ſuis dementiſſimis conſilijs ad exitum præcipitantes retinuiſſet. Verum felicitas ipſius, qua interdum eſt uſus, uidetur à fatalibus miſerijs, quæ conſecutæ ſunt, morte uindicaſſe. De te autem quid dicam? quem neceſſe erat diligere qualiſcunque eſſes, & talem habemus, ut libenter quoque diligamus propter ſingulare ingenium, incredibilem pietatem, & eximiam animi moderationem. LAVR. *Suſpicor me à te ſic magnifice commendatum, ut potius inflammer ad huiuſmodi laudes conſequendas, quàm ut illas agnoſcam. Enimuero conſcius mihi ſum, quàm ingenio mediocri uigeam. Quod autem pietatem meis nauo id mearum eſſe partium intellego. Di facerent, ut tantum nauarem, quantum debeo. Eximiam tamen animi moderationem in adoleſcentia obtinere ſtatuo difficillimum eſſe cum alijs omnibus, tum mihi in primis, qui genere Vrſinorum materno ſum ortus, è quo plerique admodum adoleſcentes domi, et foris res praeclaras geſſerunt, & patrem, alios'que maiores habeo, qui conſilio, auctoritate, & honorum amplitudine praeſtiterunt. Quantum cenſes me animo angi? cum audio de ſeniorib. maiores noſtros, uel imperij noſtri fines propagare, uel regna opulentiſſima alijs parare eſſe ſolitos, me autem nihil tale efficere poſſe. Iwãnes.n. princeps nobilitatis noſtræ amplificator Barnabã Vicecomitem Mediolani Dictatorem maximis copijs Etruriam uaſtantem unà dimicatione fudit, fugauit, & caſtris penè exſuit. Dein ad Scarperiam oppidum obſidione liberandum profectus, exercitum per confertiſſimos hoſtes duxit, nouoque*

præſidio

præſidio impoſito animos oppidanorum firmiores efficit. Iwannem uirtute, fortuna, gloria, reb. geſtis ampliſſimum Coſmus filius, Italiæ lumen, ſecutus Franciſcum Sfortiam Piceni principem graui bello implicitum commeatu, pecunia, & copijs iuuit, & aduerſus Alphóſum Regem Neäpolitanum defendit. Mox eidem auxilio fuit cum Mediolanẽſibus bellum gerenti. Poſtremo Principem Mediolanenſem declaratum in Galliæ citerioris regno confirmauit, cum graui bello petitus eſſet à Venetis, & ab Alphóſo Rege. quo etiam tempore è Gallia uſque Renatum Regem exciuit, quem miſſurus erat cum maximo exercitu contra Alphonſum, niſi Florentinorũ opes infeſtare deſijſſet. Maluit autẽ Petrus filius iniurias ab Alphonſo illatas obliuiſci, quàm uindicare, cum præſertim cerneret id fieri non poſſe, niſi cum maxima rerum omnium confuſione, & Italiæ calamitate, cuius auctores ne unquam haberi poſſent noſtri maiores diligenter prouiderunt. Quam ob rem Alphóſo defuncto, cum Regni primores auctoritatem Principis Tarentini ſecuti à Ferdinando defeciſſent, hunc regno reſtituit, Iwannemq́; Andagauenſem Italia abire coëgit, in quam certa Regno Neäpolitano potiundi ſpe ductus tranſierat, & cum eodem ipſo Ferdinando ad Sarnum collatis ſignis dimicarat, illũq́; uicerat. Nec multo poſt Fœdericum Principem Vrbinatem armauit, illumq́; ad Ricardinam in Bononiẽſi agro oppoſuit Coleoni, quem Paulus II. Pont. Max. inuictum exercitum ducentem è Gallia citeriore uocabat, ut Ferdinandum è Regno exturbaret. Quanquam autem lõgum eſſet merito oĩa commemorare, quæ Laurentius auus in Principes Italiæ, & populos contulit, tamen quædam ſummatim attingam. Cum primum Florentinus Populus eum publici conſilij auctorem habere cœpit, quanquam adoleſcentem, Volateræ nouo inuento metallo à nobis defecerunt. itaque non ſolum patriam à peſte ſummi periculi, ſed cunctam etiam Etruriam à cæde, incendijs, & uaſtitate eripuit. nam illæ prius expugnatæ ſunt, quàm uel tormenta admoueri, uel ſe obſidione cingi ſenſerint. atq;

*tiæ otium, & tranquillitatem florentiſſimae Italiae regio-
ni peperit, Florẽtino imperio nihil dimınuto, quod quidem
inuidi, & ab rationib. noſtris alieni maxime optabant. Fe-
lix autem huiuſce rei adminiſtratio effecit, ut Auus meus
& patriae ſalutis, & ciuium ſuorum auctoritatis, & pu-
blicæ cauſſæ defenſor, propugnator & auctor haberetur:
atque etiam uindex Etruſcae libertatis, cuſtos commodo-
rum optimi cuiuſque, præſidium afflictæ Reip. repreſſor
caedis cotidianæ, defenſor templorum, atque tectorum ap-
pellaretur. Mox diſcordias Mediolani ortas poſt Galeatij
Principis cædem ſedauit, Fratreſque exſules in patriam
reuocandos curauit oppreſſo Frãciſco Brutio ſcriba, qui rem
Mediolanenſem arbitratu ſuo adminiſtrabat. Ferdinan-
do item auxiliares copias miſit, quo Hydruntem, & totam
Salentinorum oram facilius recuperaret, quae à Turcis
tenebatur, cum ex Epeiro, & Macedonia, & Aetolia, &
reliqua Graecia Achimetus praefectus Regis Turcarum
maximum armatorum numerum in Italiam transfretaſ-
ſet. Atque hac in re ſummus ille uir cauſſa religionis con-
uulſas ex omni memoria uoluit inimicitias, quae inter eun-
dem Ferdinandum, & ſeipſum grauiſſimæ intercedebant.
ſiquidem paucos ante annos Alphonſum filium cum maxi-
mo exercitu in Etruriam miſerat ad Florentini imperij
Vrbes ſolicitandas & bello omnia infeſtanda. quanquam
ad id adductus uideri poterat Ferdinandus à Xyſto
Pont. Max. qui & officij Pontificij, & religionis, & Dei
oblitus non ſecus in Italia bella excitare ſolebat, atq; illa
Aſiae, aut Africæ prouincia eſſet, in qua Turcoe, & Pœni
regnarent, non pars Europæ ex flore clariſſimorum uiro-
rum conſtans, cuius princeps eſſet Pontifex Maximus, qui
moderatiſſime, & ſapientiſſime clauum tanti imperij te-
nere, & gubernacula Reip. tractare in maximo curſu, &
fluctib. deberet. Dein eodẽ Xyſto ſi non ſuaſore, & im-
pulſore, certe approbatore Veneti terra, & aquis arma in-
tulerunt Herculi Ferrarienſi Principi, cuius rei nuntium
cum accepiſſet, Ferrariam incredibili celeritate aduolauit,*

Principemq;

Principẽq; ipſum iam de fuga cogitantem in Vrbe cõtinuit labentem excepit, corruere non ſiuit, fulſit, & re, fortuna, auctoritateq; ſua ſuſtinuit. ad extremum auctor fuit, ut arma utrinque deponerentur, Italiáque pacaretur. Ferdinandum quoque à ſuis proditum tutatus eſt, eidem'que opem, ac præſidium iterum tulit, cum Innocentij Pont. Max. & Principum regni bello premeretur, Pacem'que non multo poſt inter utroſque conciliauit. SarZanam, & Petram Sanctam duo in Etruriae finib. oppida & locorum natura, & Ligurum propugnatorum uirtute munitiſſima ſub primum ipſius in castra aduentum acrius oppugnata ad deditionem compulit, Genuam'que ipſam per horum oppidorum expugnationem, quaſi neruis exſectis ſolutam, & debilitatam reliquit. Carolum etiam Galliæ Regem ſuſpenſum tenuit in Italiam irrumpere cupientem. quo denique extincto uiam idem Carolus, quaſi patefactam habuit ad exſuperandas Alpes, & Alphonſi minoris Regis Neäpolitani opes affligendas. Atque in hoc Gallico tumultu Petrus pater meus cum Italiæ dignitatem, ſocijq; Regis, & Alex. Pont. Max. ſalutem uehementius, quàm caeteri Italiæ Principes tueretur, contráq; ciuium perditorum popularem, turbulentam'que dementiam à Senatu, & à bonorum cauſa conſtanter ſtaret, coactus eſt patria excedere. Déinceps uaria fortuna iactatus, feliciſſime, ut ego arbitror, interijt, quoniam ea non uidit cum fierent, quæ prouiderat futura. nec unquam illius interitum, ut nimis immaturum defleuerim, quandoquidem nemo parum diu uixit, qui uirtutis perfectae perfecto functus eſt munere. Memoria igitur harum rerum à maiorib. noſtris geſtarum me mouet, & uehementiorem aliquando honorum acquirendorum cupiditatem ingenerat. quorum tamen fructus, ita mihi Di propicij ſint, potius ad alios, quàm ad me pertinerent.

LEG. *Hac etiam in re Laurenti ſignificationem das animi tui excelſi, mire'que benefici. Faxit Deus, ut dignam tam excellenti animo ſortiare fortunam. nam certò*

ſcio te in honoribus gerendis eandem moderationem re-
tenturum, quam alijs in rebus praeſtare ſoles. Mirarer
praeterea quo pacto laudes domeſticas, & quidem ſerua-
to temporum ordine, memoriter pronuntiare potuiſſes, ni-
ſi ſcirem illas uniuerſo iam terarum orbi teſtatas, ac illu-
ſtreis eſſe, à multis etiam in Italia cotidie celebrari. quá-
propter facultatem tibi facile ſuppetijſſe arbitror illas me-
moriæ mandandi. IVL. Quanquam his commemo-
randis Laurenti oſtendis te nunc ea optare, quæ conſenta-
nea ſint animo tuo, non his moleſtiſſimus temporibus, atta-
men nihil uereor ne æſtus inſolitæ adulescentib. gloriae te
abſorbeat, quandoquidem, ut antea Legatus noſter dice-
bat ſiue felicitate quadam, ſiue diuinitate naturae, ſiue
eiuſdem ipſius Legati diſciplina in rectam uitae ingreſ-
ſus es uiam. & unus maxime tuorum æqualium mihi ui-
deris aetatem exercere in labore, patientia'que & animi,
& corporis, ut eorum, & in bellicis, & in ciuilib. officijs
uigeat induſtria. quanquam rerum bellicarum exercita-
tionem eatenus uideo tibi probari, quoad oſtendas te pro
tempore ea quoque exſequi poſſe, quæ tua ipſius dignitas
poſtulet, & maiorum noſtrorum amplitudo. Nihil autem
de tuis ciuilium officiorum ſtudijs nunc dixerim, quæ cer-
te maxima ſunt, & honeſtiſſima, ne neceſſe ſit nobis illa
dum laudare uolumus, incurrere etiam in laudes huiuſce
Legati, qui ad eadem ipſa te excitauit. LAVR. Mi-
hi male ſit Iuli, niſi potius carere uellem uoluptate toti-
us reliqui ſermonis, quàm te non audire commemoran-
tem laudes patrui Legati. Nec uero eas dico, quas illi pe-
perere liberalitas, manſuetudo, comitas, & humanitas,
cum natura earum ſit magiſtra, & dux, ſed quae ducun-
tur à ſapientia, ab eloquentia, ab literis, quoniam harum
uirtutum decus proprium eſt ingenij illius, & induſtriae,
quod quidem omnes cupiunt conſequi, non plurimi id ſpe-
rant, pauci compotes eſſe poſſunt. IVL. Re-
cte ſtatuis, & uere Laurenti de hoc genere uirtutum.
Quantae igitur admirationi nobis eſſe debet hic noſter?

qui tam copioſe, ac eleganter haec omnia expoſuit. Et cer te niſi ingenium, doctrina, ſtudium, & hominis eloquen tia perſpecta mihi eſſet, crediturus eram, quae hodie ſuo ſermone nobis impertiuit, illum iandiu habuiſſe parata multa commentatione, atque meditatione, ut prima quaq; occaſione poſſet illa depromere. L E G. *Quicquid in hoc genere profeci id totum acceptum refero iudicio parentis mei amantiſſimi, & ſtudioſiſſimi, qui doctorib. iis erudiendum me tradidit, qui reconditarum literarum gloria excellerent.* I V L. *Cum de tuis ſtudiis loqueris, ſemper in habenda gratia Parenti tuo, & praeceptoribus, omne genus humanitatis, quod & a uirtute, & a grato animo tuo proficiſci poteſt, non modo oratione, ſed etiam uultu exprimis. Et hac quidem in re ſoleo ego Parentis tui conſilium, & uoluntatem dumtaxat laudare, qui tibi adhibuit magiſtros omnium ſuae memoriae longe doctiſſimos, non ſpectare quàm illi digni fuerint praeceptores tam ſingulari tua ad omne literarum decus docilitate, quamque apti ad ornandum ingenium tuum tam acre, tam excellens, tam diuinum, tam admirabile. propterea iudico illos nihil in te efficere potuiſſe, quod magna laude dignum eſſet, niſi tu deinceps ſingulari, & diuino tuo ingenio eximiaque induſtria ea ornamenta tibi comparaſſes, quae cum admiratione omnes laudarent. Politianus enim, quo doctore uſus es, quando unquam in ſplendore uerborum ita elegans, in compoſitione ita aptus, facultate ita copioſus fuit? ut ipſe es. Quando unquam tantum orationis latinae nitorem, & linguae munditiam aſſequi potuit? quantum omnes in te eſſe uident, & nos hodie, & heri te dicente admirati ſumus. Quanquam autem nemo eorum temporum ſcriptor illo fuit pictior, oſtendebat tamen ſe pigmenta illa non ſatis ex arte uſurpare, quemadmodum ineptae quaedam mulierculae facere ſolent, quae fucum ſibi illinunt parum ſcienter. ac propterea gratiam oris, & uenuſtatem amittunt. Denique pulcriores uiderentur, ſi medicamenta fucatis candoris, & ruboris longe*

repulſit natiuam elegantiam,& munditiam retinerent. At *multa remotioris doctrinæ obſeruauit, & in recognoſcen da antiquitate diligens fuit,& induſtrius.* Fateor. *ſed hanc profectò laudem grammatici aucupantur, qua etiam ſoli ipſi excellere uolunt.* Oratores *autem, in quorum numerum ille referri optabat, aliud ſanè tractant, aliud ſpectant, aliud etiam ſtudent.* Hi *enim noctes, atque dies in omnium doctrinarum meditatione uerſantur. genus quoque dicendi ſecuntur cultum, purum, illuſtre, omnib. uirtutibus ornatum. & quod, denique non approbationes ſolum, ſed etiã admirationes, clamores, & plauſus moueat.* Memini *etiam operam te dare* Gentili Præſuli Aretino *homini, ut ſuis temporib. politioris humanitatis laude florentiſſimo.* Sed *nihil etiam melior ille fuit, quàm* Politianus. *id, quod cum ex alijs monimentis eius perſpici poteſt, tum ex orationib. quas in diuerſis* Italiæ *locis complures habuit. in illis enim multa uerba ex triuio arrepta uiſuntur, multae quoque elocutiones barbaræ, & agreſtes occurrunt, ſententiæ autem multæ pueriles, ac imprudentes ſunt.* Nonnulli *tamen eam in primis orationem honorifica laude proſecuntur, quam habuit apud* Alexandrum VI. Pont. Max. Legatus *populi* Florentini, *paulo poſt, quàm ille ſacris* Chriſtianis *publicæ præfectus eſt.* Verum *hanc quoq; non ſatis dignam uideo, quæ iterum legatur. in ea enim minus eleganter expreſſit id, quod homini exprimendum erat elegantiſſime. hoc eſt cauſſam, cur* Romam *ueniſſet, quæ erat, ut per illum* Populus Florentinus *ſe conferret ad auctoritatem* Pontificis Maximi. *ille autem in hoc ſenſu reddendo plebeiam elocutionem uſurpauit, quæ eſt obedientiam præſtare. quam ob rem id genus orationes tempus, ut alias multorum obliuione obruet.* Feruntur *quoque eiuſdem uerſiculi faciliore quidem muſa facti, ſed ſine cultu, & latinæ puritatis nitore.* Itaque *cum tuis uel græcis, uel latinis nemo ſanus illos comparauerit. ex quibus latini me plus delectant, græcos magis admiror, utroſque mirum in modum laudo, & probo. cuius quidem iudicij ſocios etiam habeo oẽs*

beo omnes fere qui in Vrbe cultiorib. ſtudijs dediti ſunt. Atque non nihil interdum mirari familiares noſtros uideo, te lente & faſtidioſe, neſcio quo pacto, referri ſolere ad manſuetiores muſas, ex quibus tamen non laudem modo ingenij, ſed etiam admirationem conſequi poſſes. id quod nuper euenit poſt, quàm lecta ſunt cum alia tua Iambeia, tum hæc, quæ luſiſti in Lucretiæ ſtatuam repertam in ruinis Tranſtyberinis.

Libenter occumbo mea in praecordia
Adactum habens ferrum. iuuat mea manu
Id præſtitiſſe, quod uiraginum prius
Nulla ob pudicitiam peregit promptius.
Iuuat cruorem contueri proprium,
Illum'que uerbis exſecrari aſperrimis.
Sanguen mi acerbius ueneno Colchico
Ex quo canis ſtygius, uel Hydra præferox
Artus meos compegit in pœnam aſperam,
Lues flue, ac uetus reuerte in toxicum,
Tabes amara exi mihi inuiſa, & grauis,
Quod feceris corpus nitidum, & amabile.
Nec interim ſuas monet Lucretia
Ciues pudore, & caſtitate ſemper ut
Sint præditæ, fidemque ſeruent integram
Suis maritis, cum ſit haec Mauortij
Laus magna populi, ut caſtitate fœminæ
Lætentur, & uiris mage iſta gloria
Placere ſtudeant, quàm nitore, & gratia.
Quin id probaſſe cæde uel mea graui
Lubet. ſtatim animum purum oportere extrahi
Ab inquinati corporis cuſtodia.

Quid autem dicam de tua literarum græcarum ſcientia, & dicendi facultate? Hanc enim quanquam ab ineunte pueritia hauſiſti à fontibus Atticis, quos tibi aperuit Demetrius Chalcondyla Atticæ eloquentiæ ſua memoria facile princeps, tamen procedente aetate ſic eam ipſam auxiſti, ut nunc nullam aliam linguam, nullum aliud dicendi ge-

nus noſce uideare. Quinetiam plerunque uidimus Græcos ipſos quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſecuti eſſent, ea tum uel recta eſſe confidere, uel praua intellegere, cum eſſent à te iudicata. Multos item græca literatura inſigneis uiros domi habes, ad quorum æmulationem non deſiſtis cum omni genere exercitationis, tum maxime ſtilo augere partam eloquentiam. atque inter hos maxime eminet Scipio Carteromachus, quem honorificentiſſime pro tua natura, liberaliſſimeq; tractas, cum præſertim uideas illum quanquam latinum, græce ſic loqui & ſcribere, ut ſolus poſt ueterum Græcorum Platonis, Socratis, Demoſthenis, & Strabonis interitum, orbæ eloquentiæ tutor relictus uideatur. Viuunt etiam tecum iucundiſſime, atque coniūctiſſime plerique alij ſummo ingenio uiri, ex quibus nonnulli Philoſophiam complexi ſunt matrem omnium benefactorum, beneque dictorum. Multi ius ciuile, & Pontificium didicerunt, res ad collegij ueſtri cauſſas, & ſummi Antiſtitis prudentiam maxime neceſſarias. Quidam rerum ueterum memoriam tenent, ex qua ſiquando opus eſt, uel ab inferis locupletiſſimos teſteis excitas. Atque incredibile eſt quantum horum omnium conſuetudo tibi conferat tum ad literarum ſtudia excolenda, tum ad domeſticam liberalitatis laudem augendum. Hæc igitur tua inſtituta immortalia, hæc diuina ſunt, hæc fama celebrantur, hæc monimentis ſcriptorum mandantur, hæc poſteritati propagantur. Hæc etiam faciunt, ut apud Iulium II. Pont. Max. nemo ſit te uel gratia iucundior, uel auctoritate grauior, uel ſapientia admirabilior, uel honore clarior. Et huiuſce quidem animi erga te perhonorifica teſtimonia ille dedit cum aliâs perſæpe, tum proxime, cum te exercitus ſui Legatum dixit, & prouinciam Aemiliam decreuit, cui cum imperio præeſſes, ut maieſtatem Pontificiam aſſereres, auctoritatem que collegij ſummorum Antiſtitum amplificares, & ſtatum Italiæ, libertatem, iura, leges, iudicia, Vrbem hanc denique ſedem omnium noſtrum, arcem Regum, lumen gentium, & domicilium religionis defenderes.

deres. Omnia igitur conſtituta ſunt in tutela, & præſidio tuæ uirtutis, ac ſapientiæ. Tibi collegæ omnes tui cedunt, & quaſi faſces ſummittunt. Te publicum orbis teræ conſilium in omni genere ampliſſimum eſſe uult. Tibi Populus Romanus, & magna Italiæ pars fauet. Tuæ fidei, iuſtitiæ, & bonitati Italiæ Populi ſua domicilia, ſedes, rem, fortunas committunt. Tibi exteri Reges ſua etiam in Italiâ regna commendant. Te tua frui uirtute optimus quiſque cupit. Tibi eam fortunam omnes optant, ex qua laus familiæ illuſtrior, decus patriæ maius, & perpetua Italiæ dignitas naſcatur. Exi igitur in prouinciam alacriter, & priſtina ornamenta honoris, omnia monimenta gloriæ, & ſua laudis inſignia ad urbem Romam reuoca; cuius etiam Principatum admirabilis tua uirtus tibi pollicetur. L E G. *Tu quidem Iuli inſigni tua erga me pietate, fide, & caritate ductus omnia mihi tribuis. Enimuero in Rep. gerenda nullum ipſe tempus, aut locum prætermittam dignitatis Pontificiæ defendendæ, Italiaq́; nominis ornandi. quanquam, ut errorem meum confitear, in magnis periculoſisq́; rebus non nihil ſum timidus, & ſemper magis aduerſos rerum exitus metuo, quàm ſpero ſecundos. id que maxime hoc tempore, quo de iure publico armis diſceptari cœptum eſt. Præterea ſingularem uoluptatem capio ex augurio tuo, quid enim hoc etiam diſſimulem? atque utinam id uerum ſit, ſi Italiae expediat, & è Rep. Chriſtiana ſit. Sed iam dies inclinauit, & primæ intenduntur tenebræ. itaque pergamus in Xyſtum. nam Centuriones, Tribuni Militum, & alij copiarum præfecti me ibi exſpectant, ut de ſumma rei mecum deliberent, ſimulque cognoſcant, quándo in prouinciam cum imperio me proficiſci oporteat.*

F I N I S.

OPTIMVM *factu indicauimus in extremo codice ad-
ſcribere, quæ uel à nobis aliter propoſita ſunt, quàm
uulgo exiſtimetur, uel Manutiani cuſores neglegenter
repræſentarunt.*

Pagina.2.Alexandrũ Teium. *quanquam exẽplaria* Athe
naei, quorum impreſſionem induſtriæ & uirtuti Aldi.
Manutij debemus, habent Alexamenus, *nos tñ calamo
notatos libros ſecuti ſumus, in qb. ſcriptũ eſt* Alexãder.

4. *Turcarum immanem crudelitatem, & quæ ſecuntur.
Noua fortaſſe uidebitur hæc forma loquendi ijs, qui
pauca lectitarint, cum tamen Cicero ea utatur* XIIII.
in Antonium actione. 9. L.Antonius. *ſcribe* C.

11. *Illiusq; ſororem in matrimonium duxit.* Strabonis *co-
dex, quo in transferendo utebatur* Gregorius Typher-
nãs *oſtendebat ſororem* Hermiæ Eunuchi *fuiſſe uxo-
rem* Ariſtotelis, *uerum impreſſus indicat fuiſſe* θυ-
γατέρα τοῦ ἀδελφιδοῦ *hoc eſt proneptem fratris.* Su-
das autem docet fuiſſe filiam Hermiæ, *nomenq; ei red-
dit* Theten.

13. *adagio dictitant. in menſu antepenultimæ ſyllabæ uer-
bi adagij etymon ſecuti ſumus.* Video *tamen recentiores
quoſdam eandem ſyllabam ſtabilem feciſſe.* Quod *ſi id
recte ſtatuunt, lege adagio ferunt.*

17. *non uidebatur. ſcribe. uidebatur.*

18. *Librorum de anima.* Scio Hermolaum *ad* Saluiatum
ſcribere ſe tranſtuliſſe libros Ariſtotelis *de phyſica au-
ſcultatione.* Sed *hi penès fratrem & alios* Hermolai
propinquos Venetijs *non ſunt, cum tamen libri de ani-
ma cum explanatione olim apud eos eſſent. atq; eoſdem
libros ſe uidiſſe mihi puero referebat* Aldus, *cum omnia
illius opera impreſſioni ſubijcere cogitaret.* Sed *proxi-
me cum omnem ſupellectilem librorũ* Hermolai *ſcruta-
rer, utriuſque argumenti* Scripta *deeſſe animaduerti.*

33. *Senatus dignitas. ſcribendum auctoritas.*

42. *hæc enim ex* Conſolatione Stoïci Crantoris *in morte fi-
liæ.* Reponendum *ita. hæc enim ex conſolatione* Acade-

mici Crantoris in morte filiorum Hippoclis.
46. iniuriã, & maledicẽtiam. lege maledicentiã, et iniuriã.
47. famliaritas augeatur. ſcribe beneuolentia.
61. inimicorum. ſpectatæ fidei codex habet amicorum.
63. pugno facto. ſcribe pugno percuſſum.
68. Socrate. lege Iſocrate.

Non diffiteor pauca alia menda à cuſorib. effuſa, poſſe occurrere, ſed illa minuta omnino ſunt, & plane eiuſmodi, ut unuſquiſque ea ipſa à uitio uindicare facile poſſit.

a b c d e f g h i. Omnes quaterniones præter i ternionem.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI ET
ANDREAE ASVLANI SOCERI
MENSE NOVEMBRI.
M. D. XXII.

AL DVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico e Legatoria
Piazza dello Spirito Santo, 11 - Tel. 21.344
PESCARA